LUDIBRIA MALEVOLA CLERICI,

vel

PROSCRIPTIO

pravæ mercis ac mentis pravissimæ

quam exposuit

in

MINUCIO FELICE

Jean le Clerc année MDCCXII Tome XXIV
de la Bibliotheque Choisie.





LUDIBRIA MALEVOLA
CLERICI,

vel proſcriptio pravæ mercis & mentis praviſſimæ,

in

MINUCIO FELICE

quam expoſuit Jean le Clerc année MDCCXII Tome XXIV de la Bibliotheque Choiſie.



Uic alitud mercedis erit: nam Kuſterus amat διαλειβὰς, ut fas ſit eum illis frui. Sed an vidiſti iſtum turbatorem ſilentiarii publici, illam trucis orci ſqualidam voraginem denuo exæſtuantem, illud per trimeſtria inſtitoria perſonare ſolitum, ſed fuligine ignorantiæ jam diſtritum nomen, immo etiam ipſo διπλῷ κάππᾳ, quod bene intelligit idem Kuſterus Suidæ editor, & hinc peſſimis notis inſignitum quarta & viceſima rabie nuper proſiluiſſe? Ille ordinarius luctator Mr. Κληρικὸς (amo enim Græca Latinis immiſcere, fulminent licet, quibus diſplicet quod exempla antiquorum probant) rurſus ut *librementer* dicat ſuum *ſentimentum*, fine paginæ 122. mucrone equidem coruſco prodiit ex umbra ſua, & ut muſarum eunuchus, rancidulum eliquans involvit ſe ſolitis maledictis, & repente Ηθικόμιμος (forſan quoniam hinc affectabat apud ſuos ſtipendia theologica) p. 123. ſimulat pro tempore homiliſtam, & omnis officii magiſtrum. Hinc taxat hominem,

 qui

qui nunquam voluit illi esse amicus, nunquam notus, nunquam istud lutosum cymbalum audire voluit, fugit ipsum oris improbi & pestiferi visum. Ergo quiritatur *injurias grossieras*, contra judicium sanctissimum Gazettierii Menteurii, quem tamen opinor, ut correctorem suum benevolum, maximi facit ille, scribentis pag. 35. à qui il avoit dit les injures les plus canailleuses, etiam addito, même lorsque cela venoit le plus mal à propos. Itaque suas culpas aliis exprobrat. Loquitur *manieres*, & in linguâ sumit *retenüe* & *civilité* solis vocabulis illi cognitas, quas mentitur *perdues*, quum nunquam habuerit. Itaque quum omnia falsa jaciat, in una tamen procemii periodo proxime verum incepit loqui, dum scribit *peutêtre même aime-t il mieux qu'on en use ainsi, que si on le laissoit-la; au moins on l'en accuse*. O Chamæleon inflate, verum dices, si abstuleris illud *peut-être*. Neque enim quidquam ille minus vult, quam ut tu & tui similes judiciales Cretes accusare illum desinant. Hic igitur per inania opprobria sibi placens & genuinus Telchinum fraterculus traductus per ora gentium propter ἀπoζυγιώδη judicia de Editionibus Suidæ Æmilii Porti & hodierni Kusteri, ingratissima certe defuncti doctissimi viri æstimatione & stolidissima viventis adulatione, propter similia deliria in Arriano infaustissime prolata, propter furtivam διθύρȣ ostentationem, propter insertam Græciæ vocem spuriam & absurdam ἀσπάσας, propter donum egregii codicis rejectum πεϱνολέϱφ, post Josephi etiam verba inficete prorsus tractata & adulterata, hinc abdomine talium cogitationum tardus aliquamdiu, & Græcis calcem impingens, Anglum ex Cantabrigiâ elegit, qui sibi faciat, quod Diome-

des

des voluit, ut sibi præstaret Augustus *. Istam prætenturam, istud clypeum tempore præbente arripiens avide hic servilis Cappadox, sed jam exstinctus carbo ab Græcis male & infeliciter usurpatis, transit ad Latina, quæ nunquam fauste inspexit, per Minucii Felicis nuperam editionem; nec dubito, quin id quoque scriptum pari attentione legerit, ac Galbam Plutarchi; an debeo dicere PLUT. IN GALBA? Et sane est aliquis quidam in vicina insula, qui ab tempore bene multo institit alterum sequi, immo & valde gaudet nominare, præsertim tunc quum clarissime evicturus est Cantabrigiam scilicet esse eruditionis Reginam, & quidquid inde venit, id tam polite esse exactum, ut unusquisque posito genu, & suspensis oculis adspicere debeat. Si vis specimen, sume editionem non Quæstionum, sed Disputationum jam Tusculanarum Ciceronis IV, 16. ubi quum probavisset sibi quoque esse in promptu exempla illius tmeseos *nunquam ita per illud vulgatum esse*, addit (Hæc tamen nunquam facient, ut ita Tullium scripsisse censeam; tales enim vocum divisiones non suavitatem præ se ferunt, sed rancidam vetustatem, quo tempore nauseam haud creavit illud Ennii *Saxo cere comminuit brum.* vide Servium ad Æn. 1,416.] Tales notæ digito tantum monstrari debent, ut exsibilentur, quum nihil eis rancidius. Utique non vetustas est rancida. Itane? an quisquam Romanus in Herodoto fastidivit ut rancidæ vetustatis tædium κὰπ δ᾽ ἔθανε, κατὰ μὲν ἔσυραν? An hic, ubi agitur de divisione compositi, loquetur de vocum divisione apud Servium prolata? Illic agitur de voce primitiva, ut est *cerebrum*, non composita. An compositæ vocis divisio non prætulit ipso prorsus

* Sueton. August. c. 67.

ſus tempore Ciceronis ſuavitatem? unde igitur illa frequentia apud eum, vel in Epiſtolis *per mihi gratum*, *per enim magni intereſt*, *per videre te velim*, vel in operibus aliis, *quam ſe cunque in partem dediſſet*, *quale id cunque*, *quod erit cunque viſum*, *per fore accommodatum*? quum etiam in ipſis Tuſculanis 2. 5. ſcribat, *quo ea me cumque ducet*? Hinc merito laudatur & præfertur fides Codicis Vaticani, in qua iſtis hominibus aliquid diſplicere quis miretur, qui animadvertat eorundem hæſitationem in Pherecyde *Syro* an *Syrio*, ut patet ex notis grandium verborum ac pronunciationum plenis 1, 16. & Addendis. Itaque quoniam hoc agimus, quum in ſermone etiam de Emendationibus ad Ciceronis Tuſculanas adjectis verſaremur, aliqui ejuſdem diſciplinæ æmulus non continuit ſe, quin monſtraret in illis abjicienda prorſus, & quoniam rogatus eadem in chartas conjecta dedit, non omittimus hîc publicare nomen ſuo tempore declaraturi. Res pateat, idque ſatis eſt.

Quæ in Bentleji Emendationibus ad Ciceronis Lib. 1. Tuſc. Quæſtionum obſervaſſe nuper dicebam, quo deſtinaveram die, tranſmittere non potui. Quod nunc facio, & eo quidem majore fiducia, quod cum ea præſens exponerem, non improbari mihi videbar. In Lib. 1. Cap. XI. Cicero ſic loquitur. *Nam ſi cor, aut ſanguis, aut cerebrum eſt animus, certe quoniam eſt corpus, interibit cum reliquo corpore: ſi anima eſt, fortaſſe diſſipabitur*: &c. Vides, V. D. ut Bentlejus contra illud, *fortaſſe diſſipabitur*, ratiocinetur, & denique huc redeat, diſtinctionem male collocatam eſſe, atque ita interpungendum, *ſi anima eſt fortaſſe, diſſipabitur*: ſed Vir Eruditus parum conſideraſſe in eo

vide-

videtur hæc verba auctoris sui in cap. 17. *Quæ cum constent, perspicuum debet esse, animos cum e corpore excesserint, sive illi sint animales, id est spirabiles, sive ignei, sublime ferri:* & quæ eodem fere sensu dicuntur in Cap. 18. *Ita sive dissipantur animi* (ex inflammata anima constantes) *procul a terris id evenit: sive permanent & conservant habitum suum* &c. inde manifestum nobis est, auctorem dixisse, *fortasse dissipabitur*, quippe quum certum ipsi non fuerit, quid animo, si esset anima, futurum esset. Ad quod præterea oportune mihi in manus venere hæc e Cap. 25. verba. *Illud si ulla alia de re obscura affirmare possem, sive anima sive ignis sit animus, eum jurarem esse divinum.* Quo loco plane corruunt, quæ ad locum e capite XI prolatum disputat Bentlejus contra τὸ *fortasse dissipabitur.*

In Cap. 17. *Sive ipsa natura superiora appetente.* Etiam hæc Bentlejus mutari vult, non alia de causa, quam quia per naturam ipsam necessario intelligendam putat naturam rerum communem, cum si intelligas naturam earum partium, de quibus est sermo, igneæ scilicet & animalis, nulla mutatione sit opus; cur vero minus sic possit intelligi, equidem nullam video rationem.

In Cap. 25. *Quid illa vis, quæ tandem est, quæ investigat occulta, quæ inventio atque excogitatio dicitur? ex hacne tibi terrena mortalique natura & caduca concreta ea videtur? aut qui primus, quod* &c. In hac oratione vir celeberrimus exitum non invenit, atque ideo legendum censet: *Ex hacne tibi terrena mortalique natura concretus is videtur, aut qui primus* &c, ubi, dum nimis festinat, *& caduca*, omittit. deinde propemodum perspectum habeo,

virum clarissimum eorum puncta non laturum, qui in Ciceronis lectione diligenter sunt versati. Quid? an hæc oratio caret exitu? *Quid illa vis, quæ tandem est, quæ inventio atque excogitatio dicitur? ex hacne tibi terrena mortalique natura & caduca concreta ea videtur? aut* is concretus videtur, *qui primus* &c. ut adeo ex præcedentibus sit repetendum, quod ille in contextum orationis immittendum putat.

Porro in Cap. 26. *non enim ambrosia deos, aut nectare, aut Juventate pocula ministrante lætari arbitror.* Quia Juventas neque cibus est, neque potio, expellendum judicat illud *aut*, quod Juventati præmittitur. Egregie, si dii cibo duntaxat & potione lætari fuissent crediti. Quis vero adeo est imperitus, ut nesciat, ipsos deos, Iovem præsertim, ex stulta veterum opinione, non minimam voluptatis partem in eo positam habuisse, quod sibi pocula a Juventate ministrarentur, atque adeo recte dicit auctor se non arbitrari deos ambrosia, aut nectare, aut Juventate pocula ministrante lætari.

Cap. 30. *Nam qui se humanis vitiis contaminavissent, & se totos* &c. Illud *humanis vitiis* sententiæ adversum censet Bentlejus, statuens ea esse talia, quæ in quemvis hominem possint cadere, & quæ humanæ naturæ imbecillitas a se depellere & defendere non potest; & præterea notat ab auctore hinc mortalium contaminatissimos turpissimosque poni, inde castissimos sanctissimosque. Quod si verum est, nescio sane quid horum mediis futurum sit. Ego *humanis vitiis* rectum sanumque esse, & ab ipsa auctoris manu profectum arbitror motus Socratis apud Platonem verbis, quæ auctor procul dubio sibi proposita habuit. Hæc sunt in Phæ-

done

done p. 81. Ed. Steph. Ἐὰν δέ γε (οἶμαι) μεμιασμένη καὶ ἀκάθαρτος τοῦ σώματος ἀπαλλάττηται, ἅτε τῷ σώματι ἀεὶ ξυνοῦσα, καὶ τοῦτο θεραπεύουσα, καὶ ἐρῶσα, καὶ γεγοητευμένη ὑπ' αὐτοῦ, ὑπό τε τῶν ἐπιθυμιῶν καὶ ἡδονῶν, ὥστε μηδὲν ἄλλο δοκεῖν εἶναι ἀληθὲς, ἀλλ' ἢ τὸ σωματοειδὲς, οὗ τις ἂν ἅψαιτο, καὶ ἴδοι, καὶ πίοι, καὶ φάγοι, καὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια ἂν χρήσαιτο. Hi sunt, quorum mentem non putat αὐτὴν κατ' αὐτὴν εἰλικρινῆ ἀπαλλάξεσθαι. ἀλλὰ διειλημμένην ὑπὸ τοῦ σωματοειδοῦς. Ubi hic illa immania, & non potius humana vitia, ea nempe, quibus, si paucos quosdam sapientes exceperis, qui mentem assidue a sensibus avocare, affectibusque imperare laborabant, omnes sunt impliciti, ita ut merito domestica ipsorum vitia, quippe cum quibus semper habitabant, dici mereantur. quo sensu Juvenalis sat. 9. v. 17.

—— —— quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domestica febris.

Hæc fere sunt, vir celeberr. quæ in illis ad librum primum Bentleji emendationibus mihi parum probabantur; quæ eo lubentius notabam, quod intempestivam emendandi aut acuminis ostendendi libidinem non præferebant, sed in vindicanda tot eruditis probata scriptura veroque auctoris sensu investigando versabantur: in quibus si me Tibi, vir mihi semper honorande, non displicuisse intellexero, erit, quod mihi gratuler. Ea vero talia esse non opinor, &c.

Hic gustus præmitti debuit ad cognoscendos impetus, qui ab Tusculanis illis translati sunt ad Minucium Felicem, ita ut quum macilenta oppido fuisset editio projecta, sed tamen hodiernæ Cantabrigiæ congrua, statim excitus Leidensium remediorum vario conatu animus, continere se nequi-

quiverit, quin pinguiore ſagina farciendi ejuſdem Minucii propoſitum & caperet & exſequeretur.

Quem quomodo ordinent librarii & properent novas editiones, viderint; id enim illorum munus eſt, & poteſt celebrare Mr. Κληρικὸς venditando & ſcribendo [Les notes ſont très-bien diſpoſées ſous le texte, en ſorte qu'elles ſont toûjours partagées également ſous les deux pages, qui ſe regardent] En dignam Cantabrigienſi eruditione laudem! Quam acclamarent ad talia maximi prioris memoriæ viri? Nos ſtatuimus eſſe melius ad iſta tam acerbe non attendi, & hoc agi, ut attendantur alia: melius eſt reliquum quid, nempe cura exornati nova editione auctoris, ut in eo producatur utile, quod prætermiſſum eſt ab prioribus, & legendi labor lucro doctrinæ penſetur, certe ſolatio hoc levetur. Ab iſto igitur Anglicano, ut dixi, βεκκέλεφ, non magno ſcilicet illo, ſed ingenti, incitatus noſter hic Mr. Κληρικὸς inſultationis inficetæ telam ſic orditur. Nec enim opus eſt vel tangere, quæ ex impuro, ſed nativo pectore illinens paginæ 122. ipſo principio effœminat titulum libelli. Satius duco inhærere illis, quæ altioris affectationis ſemilixa, latens, ut dixi, poſt προϐλημα Cantabrigienſe, ad amœniſſimum Minucii locum, *Nec immerito diſcedens vir eximius & ſanctus immenſum ſui deſiderium nobis reliquit*, tradit pag. 124. his verbis. Puis qu'Octavius étoit mort, lorſque Minucius écrivoit ceci, il vaudroit mieux lire *decedens*, qui eſt le terme, qui eſt en uſage dans les bons Auteurs, qui n'employent pas *diſcedere* pour mourir, mais *decedere* en ſouſentendant *e vita*] Sane his notandis occaſionem dederunt Leidenſia. Itaque oportet agnoſcere acumen univerſum harum vocum gloriæ

eſſe

esse Cantabrigiensi, unde sumit, par & conveniens, ut idcirco id mereatur aureis ubique literis inscribi, ne quis misceat monitum adeo doctum, aut aliunde opinetur profectum. Attamen scitote & tu qui Gallice colligis, & qui Latinus anteis, etsi non constet de Octavii morte (sæpius enim novimus in insula illa suppositum esse, quod nemo concederet) & forsan tamen jam tunc contigerit; sed contigerit licet, nihilominus hîc in Minucio, cur aliquid mutari censeatur, causam nullam esse. Scitote uterque & miles qui tuus est quem nominas sæpe, & tu illius echo, sed τελευτήκει, ut Suidam habere scit Kusterus, non quia verbum *decedere* proprium ejus est, idcirco etiam debuisse ab Minucio usurpatum esse. Potuit enim intercessisse occasio, quæ aliquid remotum & alienum & communius, ut nunc est verbum *discedere*, vel multo oportunius reddat, immo etiam ad sententiam explendam scriptori videatur plane necessarium. Quod in hoc loco prorsus in animo Minucii fuit, & si vos non potestis assequi nec videre, creditote vos nugari in bonis libris tractandis, profanare studiorum sacra; immo omnes vestras sousentendantias esse nullius momenti & summæ vanitatis. Forsan exigatis id quod dicitur aliis exemplis habere adfirmatum. At nos vobis, licet benefactoribus ut omnium, ita & nostris, sed tantum λόγῳ, nullo jure tenemur, & cras id fiet. Sed nimium vos amamini, quam ut frustrando differri queatis. Quid igitur? Nonne fatemini (nam noscere scimus) verbum *renunciare* fuisse Romæ proprium in comitiis, & qui étoit le terme, qui est aussi en usage dans les bons auteurs, qui n'employent pas *pronunciare* dans cette matiére pour hautement declarer auquel vient le plus grand nombre des voix, mais *renunciare*. Nihilominus scri-

ſcribitur ab Suetonio in Jul. c. 41. *De cætero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur; pro parte altera, quos ipſe edidiſſet.* An non ibi notavit Torrentius? Lego *edidiſſet*, & paulo ante *renunciarentur* pro *pronunciarentur*] Ecce exemplum, quod ſequimini. Obſtitit Caſaubonus notando ad verbum *pronuntiarentur* [Hæc ſcripta lectio omnium librorum pro *renuntiarentur*, quod eſt verbum in ea uſitatum ac ſolenne.] Quid vos hîc decreturi ſitis, exſpectabimus, niſi quod jam vos occupavit homo, qui omnia Suetoniana notis onerat, quum nihil Suetonianum intelligat, annotando hic etiam [*Pronuntiarentur*, quinam nimirum renuntiati ſive creati eſſent magiſtratus] Jam, credo, habetis affatim, & de utroque poteritis pronunciare; quum interim & in Domitiani capite octavo repetat Suetonius ſimiliter verbum *pronunciare*.

De annis innocentibus cap. II. Mr. Κληρικὸς apportat verba, quæ movent ſalivam; ſed non vult ſine pretio emptionis quidquam in medium proferre, quum non contingat unicuique ſic identidem renovatas editiones emere in hoc bellico tempore. Patiamur ergo cupiditatem noſtram ab hoc ſubprincipe ſuſpendi hactenus.

Quum in capite eodem occurrant verba *molli veſtigio cedens arena*, ſcribit Mr. Κληρικὸς [Il témoigne qu'il eſt du ſentiment de ceux qui liſent *mollis*, & qui le rapportent à *arena*. La choſe même le demande, & les exemples qu'il en apporte, le prouvent.] Agnoſcimus contumacem militem cum laſcivo lixa. Diſcedunt enim ab fide, nec parent teſſeræ, quam ſummus Imperator illis dedit. Qui quum ſit unicus ille MS. codex, quotquot *mollis* legunt, non accipere ſignum,

gnum, ſed de eo deliberare volunt, & ſic oſtendunt ſe tergiverſari perfide. Utique in eo exſtare *molli* colligere debemus ex utraque Romana editione, ex cura Heraldi & Rigaltii, qui retinent *molli veſtigio*, ut certe præter Minucii arbitratum ſic excedant, qui illud adjectivum ſunt rapportantes à arena. Sed quod Mr. Jabroerius apponit de choſa ipſa & d'exemplis, id negari debet fieri poſſe. Nam etſi concedatur hanc mollem arenam fuiſſe, & alii id ſæpe obſervantes dixerint, ut notæ Leidenſes jam monſtrarunt pag. 22, Minucius tamen ſatis etiam arenæ rationem habuit, dum tradit *cedentem veſtigio*, unde ſatis patet mollem fuiſſe, præſertim quum veſtigio etiam apponat hanc qualitatem; etiam cur veſtigium teſtetur molle fuiſſe, cauſam ſuam habuit. Non enim hi incedebant militari gradu, nec ſubligamina clavis fixa imprimebant, aut agreſtium ac bajulorum tardigrado inceſſu immergebant, ſed leni pedum poſitu molle veſtigium ſignabant more ambulandi ad mare. Hinc alii dixerunt *tenue veſtigium*. Quod niſi fallor ſufficit. An vero magis lætabitur Mr. Κληρικὸς, quem cupio oblectare, ſi ſua verba audierit? non hîc viam lapidoſam calcat ruſticus, qui ſoleat non modo pedibus incedere, ſed & per loca aſpera ac lapidoſa, negabit eam viam eſſe aſperam, aut moleſtam; imo vero ſat planam & commodam judicabit. Locum ipſe novit.

In capite III loquacius extendit ſuam antiphoniam, & ut ex Minucio eradatur vox optima *civitatis*, nec aliunde edita, ſed ab calamo Minucii profecta, ſtatim temere conjectanti Anglo tibicines quos poteſt ſupponit Mr. Κληρικός. Sane tutius fuit paulo poſt p. 126 expellere vocem *potius*, quoniam nul-

nullus illorum qui citantur eam defendit, & supponimus eum potuisse ex certa fide dicere comme le MS. de Paris ne reconnoit point ce *potius*; ubi tamen denuo mentitur eam vocem additam esse ab Ouzelio, Cellario &c. [& qu'Ouzelius, Cellarius & Mr.... en retenant *penitus* ont ajouté *potius* avant *succumbere*] Neque enim ut adderetur ea vox, illi in causa fuerunt, sed in contextum jam adjecta fuit ab Elmenhorstio in editione Hanoviensi MDCIII typis Wechelianis, unde propagata fuit ab illis, qui non habentes oportunitatem recognoscendi ex Parisino codice, quid sit genuinum, lassi per alia, in ea conniverunt, ut fieri solet. Nunc licet molliter exerceat sævitiam, tamen veritas tam vanum suppositionis genus sine ullo negotio devorat. Locus Minucii est, *cum hoc sermone ejus medium spatium civitatis emensi, jam liberum litus tenebamus*. Ergo Mr. Κληρικὸς loquitur aut explicat *medium spatium* s'entend de l'étendue de la promenade, qu'ils avoient resolu de faire. Cujus spatii supponendi perinde firmam causam habet, ut Dodwellus restitutæ Olynthi. Sane non est vel molle vel tenuissimum vestigium in Minucio, unde colligi possit ab eis terminum hujus ambulationis aut spatium fuisse animo ac destinatione ante præfixum, ut potuerit ante monstrari medium illius spatium. Meta nulla ab illis fuit præcepta, nisi ex casu, si quis accideret, aut quousque lubido ferret, id quod in ipsa ambulatione erant sumpturi; multo minus ut tam accurate designatus ille finis fuerit, ut medium spatium Minucius voluerit intelligi dont ils avoient déja fait la moitié, à compter depuis de la ville jusqu'au lieu où ils avoient dessein d'aller. Nihil tale est in Minucio, nihil vel occulte vel aper-

te dictum de Clericano desseino, nulla indicatio, unde lectorem oporteat talia exsugere. Etiam modus inambulationis, quam constituunt tres, in antecessum non solet utique ponere limitem, unde reverti incipient, & quem ultra non sunt progressuri. Sed mirum videri non debet indolem ingenii hodiernam furcillis uti contra Minucium ad ei voces suas extorquendas, quum eadem nuper id fuerit ausa facere adversus Apostolum Paulum, ut ex Epistola ad Galatas expelleret. Si talis ratio loci est, qui eligitur ad inambulandum, ut reverti per idem oporteat, quoniam ulteriora sunt obturata, jam ipse præbet finem, non socii sumunt. Sed tale quid fuisse in hoc aperto litore non crediderim, nec licet credere, quia Minucius scripsit *medium spatium civitatis emensi.* * Ainsi nôtre Critique n'a point sujet de dire, que le mot de *civitatis* à été ajouté mal à propos, ut insulsissimi nugatoris adulatoria vanitas in verius & fidelius vertatur. Immo ipsa narratio Minucii fatetur nihil tale præsumptum, vel dum oram curvi molliter litoris legunt iter fabulis fallentibus, vel dum post eundi spatium satis justum cum sermone consumptum eandem emetiuntur viam, nequaquam ex ea proportione designatum quam initio proposuerant, sed prout res ipsa aut tempus dedit. Deletur itaque hæc vox eodem jure, quo in Herodoto VII, 44 ista verba Ἐπεὶ δὲ ἐγένοντο ἐν Ἀβύδῳ μέσῃ vertit Valla *ubi Abydon venerunt* lætis editionibus. Quin ita procedat ac decernat de verbis Justini XXX, 4. *Eodem anno inter insulas Theram & Therasiam medio utriusque ripæ & maris spatio terræ motus fuit.* Affatim clara est vulgata lectio. Quamquam ego nullus intelligam, quod tædium vel fastidium hujus vocis *civitatis* viros bonos in vicina

cina insula ceperit, ut sic ex antiquis monumentis expellant inique. Nam ecce venit alter Menalcas ab Oxonio, & quoniam in præfatione Livii exemplaria prisca omnia, ut credere licet, quoniam in illis quæ nunc inspici possunt aut nuper inspecta sunt, legitur, *nulla unquam respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam civitatem tam sera avaritia luxuriaque immigraverint*, atque ideo in nupera Elzeviriana editione sic quærebatur causa rejiciendi, ut defenderetur ab ipsa Livii consuetudine; ille vero ex imperio, nec dignatus aliquid causæ proferre, arbitratur per hæc verba, *cui tamen vix credo assensuros esse eruditos.* Scio multa illic credi & facile sino. Sed cur id non assensuri sint eruditi, libenter audirem causam, & utique οὐδεὶς φθόνος in his? Eruditi quod vident ab codicibus MSS. adfirmari, quod stylo ipsius scriptoris agnoscunt convenire, quod ratio veteris loquutionis admittit, solent pro bono habere: & in hoc sunt & vocantur eruditi, & ex his nihil hinc abest. Quis dubitabit, quin eadem plena scriptura exstet in codicibus Anglicis, quos testatur sibi adfuisse; sed præfracte fidem illorum detrectat adjungere fidei tot codicum, qui istic citantur. Habent etiam primæ editiones, quas excellenter laudat. Quid facias his corculis? Est vere Liviana vox. Docent duo ista exempla. His adde, quo prorsus deciditur III. 20. *Non ita civitatem ægram esse, ut consuetis remediis sisti possit; dictatore opus esse reipublicæ.* VI. 6. *Circum sederi urbem Romanam ab invidia & odio finitimorum: itaque & ducibus pluribus & exercitibus administrandam rempublicam esse.* Omnino rite sententiam Minucii Felicis explicant notæ Leidenses.

Asse-

Assecla Britannicus promovet gradum ; un peu apres il decrit ainsi les vagues, qui battoient les rivages, *cum in ipso æquoris limine plantas tingueremus, quod vicissim nunc appulsum nostris pedibus alluderet fluctus* &c. Et statim judex sedet, comme on ne dit pas en Latin *æquor fluctus alludit*. Est enim hoc consuetum illi in quocunque etiam sermone, ut Lucilius ostendit Veratio . 126. & 151. Sic colligis eandem manum esse. Unde autem illi tanta notitia est horum Latinorum, qui & in his & in Græcis tam est puer? An audacia est pro peritia? An statuit non ita dici Latine, quoniam nemo illi suppeditavit alicunde exemplum, quod perinde ad se raperet, sicut ita consuluit non solum in illis, quæ alibi detecta sunt, sed etiam in Arte Critica videri volens colligere exempla loquutionis *inscribere cordibus*? Novimus enim carecta, post quæ latens & furans vult videri bonus esse. An Minucius Felix non idoneus est tuendæ huic Latinæ loquutioni? Illum ita statuisse qu'on dit ainsi en Latin, probat fides illibata codicis optimi & unici. An eo contenta non est pervicacia nostri Latine docti hominis Mr. κληρικȣ̃? Quum quod ibi nuper allatum est, non posset satis lenire gravidam bilem, vide quæso, quam possint duo excogitare mollissimas mollitudines ad arenam usque. Nam & se repetit, qui Minucio impingere vult paroles, ut ipse fatetur, renversees, sed un peu; & alterum, qui more Albionis, ut Neptuni filium probet, aime mieux transporter le mot *fluctus*; & pour bien parler Minucius a dû assurement parler ainsi. En regias, vel tortoris manus perinde ac regulas, quæ ipsæ satis destruunt mollissimam suam mollitudinem, unde vermes Minucio innascerentur. In notis ergo Leidensibus quum allatum

 esset

esset solatium satis felix, immo unice salubre, utpote petitum ex ipso vetere Latino ore, quod breve interdum esse voluit prægnantiorem significationem verbis imponendo, idque videre licet passim ab viris doctissimis adnotatum; nec tantum usurpatur prioribus, sed & posterioribus ex Christianismo, ut *psallere libertatem*, *balbutire spiritum*, *cœnare disciplinam*. Hæc inquam quum certa sint & tueantur vulgatum; tamen causa comitatis publicæ, quæ jubet conferre in medium, si forsan aliud quid præ manu esse potest & in promptu, additur in notæ Leidensis fine [Hæc si minus placent, potes facillime *alluderet fluctu*] hinc ecce Punicæ astutiæ artificium. Illa priora & prægnantem loquutionem innuentia plane negligens increpat pauca illa postrema, & indocte nasum admovens evomit illa faire parler Minucius, comme il se fait lui même; puisqu'alors *resorberet* demeureroit sans regime. En culpam exprobratam & objectu dignam & dignam tanto Grammarieno. Neque tamen defungi illa potest, nisi indelectabiliter gemino sui nominis Kappatio infectum caput perhibens trossulus quateret alas ac loqueretur de ceux qui n'ont pas plûs de goût de la Latine que cela. Sic delirat & furit, partim ut videatur esse aliquid, partim quia ignorat virum esse doctum, qui edidit *ac vestigia retrahens se in sese resorberet*, de quo ut tunc loquerentur notæ, causa non fuit. Verum hoc rejecto videamus bellum hominem. Quæso te an nescis frequenter contigisse, ut particula *se* in verbis activis subaudiretur? Porro an non activa sæpe adhibita sunt velut neutra? *terra movet*, *in plaustro vehens*, *venti posuere*, *ira leniunt*. &c. Quid nugaris jam in verbo *sorbere*? An non dixit & recte dixit ille *latrare undas*, *quas sorbentis æstus vorago*

rago collidit? Ubi est illud *regime*, quod miser somniat? Quid Virgilius xi Æn. 627 postquam de accessu dixerat, loquuturus de recessu & agens de ponto, etiam ut nunc Minucius de æquore:

Nunc rapidus retro atque æstu resoluta resorbens
Saxa fugit, litusque vado lambente relinquit.

Quid? an resorbet tunc saxa? tu forsan requiris, ne *sans regime* usurpetur tuum illud *resorbens*. Sed vaterra tibi destinabitur, nisi dixeris aliter, & pontus rapidus retro & resorbens æstu fugit resoluta saxa, ut quisquis sapit non dubitaverim, quin crediturus sit hunc locum ante oculos habuisse Minucium non tuum. Itaque quum insupportables mox exsorbeat ineptias, id tamen gratum est, quod fateatur se morsum esse, & ideo libenter quiritari, cogitetque etiam magnum, qualis ipse est, ab tali non minus morderi, quam ipse momordit manes patrui sui, cujus vanissima collectanea ad Ciceronianas epistolas ad Atticum verbo voluit tueri, quum omni bono prorsus destituta agnoverit, & ita prævaricatorem se exhibuerit, ut ne unum quidem locum protulerit, qui ex sicco illo, sed gravi fasce aliquod tulerit auxilium, unde defensio peti deberet, fecissetque nisi mallet esse proditor suorum majorum. Ubi est illud *regime* in præfatione & verbis Flori, *quibus inertia Cæsarum consenuit atque decoxit?*

Quod si vel hosti miseranda placet inspicere, legat quis illa quæ habet iste Imaginarius Venustianus ad voces Minucii, quem & nuspiam intelligit & nunc minime, in Cap. v. *elementorum ut voluntaria concretio est?* Primo mentitur, quum scribit [On voit bien que ce passage est embarrassé & peut-être corrompu] & ardentius in fine

 stul-

ſtulte abrumpens [ce qui me fait ſoupçonner qu'il eſt encore plus gâté qu'il ne paroît] Falſum eſt totum. Quippe nec quiſquam alius nec Anglus in priore editione monſtravit ullo indicio ſibi cognitam eſſe corruptelam aliquam hujus loci. Neque vero eſt corruptus in verbis, ſed tantummodo diſtinctiones appoſitæ ab editoribus, ſane pravæ, perſtrinxerunt lectorem, nec permittunt tam crudum ſententiæ fulmen, quale hic brutus ſuſtinet edere. Etenim ſi verum eſt on voit bien, certe aliqua priorum editionum dixiſſet ſe videre. Sed M[r.] κληρικὸς ita de quodam cenſet ce qui remplit ſon oreille, ſatisfait rarement celle des autres; quod mirum hodie nequit eſſe, quum & jam olim non fuerint ſatiatæ ac delenitæ aures ſurdæ, etiamſi eis occentaret Phemius. Itaque ſi & ipſe habeat aures tum ab vero muſarum cantu alienas, tum ipſa inanitate portentoſas, quis truncum miretur, quum eum aſpicere nullus aliter queat, niſi chori Syrbenenſis portionem, ubi quum tacere deberet, proſilit quoque ipſe ad proferendam ſuam ſtupiditatem. Quid enim requiri poteſt in tali ſermonis progreſſu naturam vel fortunam dominantem oſtentare conantis? quem ab interrogatione auctor ejus inchoat, utpote continente res percognitas & ſcriptis ſæpe jactatas ſententias de mundi primordiis, de ſideribus, de terra & mari, omnia in formam interrogandi collata, unde pari modo proceditur ad hominem: *Homo & animal omne quod naſcitur, inſpiratur, attollitur, elementorum ut voluntaria concretio eſt? in qua rurſum homo & animal omne dividitur, ſolvitur, diſſipatur. Ita in fontem refluunt & in ſemet omnia revolvuntur, nullo artifice, nec judice, nec auctore.* De Epicuro aut alio privatæ ſectæ dogma-

mate loquantur licet alii: Minucius inducit Cæcilium generalia istorum hominum, qui providentiam negabant, proferentem. Quam partem ut sine contradictionis exspectatione absolvat, incipit ab ratione generandi tum hominis, tum cujuscunque animalis. In ea dicit clarissime patere sponte tunc concrescentia, ut fuit hoc eorum verbum, elementa: rursus quum moritur & exstinguitur, eadem sic digredi & relaxari ab se invicem & quidem per sese. Itaque nullius eorum, quæ profert, appositu istud Leidense vilescit.

In Capite vi destitutus, tamen ut aliquid agat, ciniflonem induit, & blandiri per anilem ineptiam eruditioni Cantabrigiensi statuit, & quia sex editiones illa enumerare potest, quæ exhibent *Magnam Matrem*, quum MS. Regius omittat adjectivum, en tibi aliquid dignum nostro tempore: Mais nôtre Auteur fait voir, par plusieurs exemples, qu'on nommoit aussi Cybele, *la Mere*, tout court, de sorte qu'il ne faut rien ajouter ici. Certe sex illæ editiones non sunt aut prima Romana, non Heraldina, non Rigaltiana, non denique Ouzeliana, sed aliquæ ex illis, quas operæ pretium est Cantabrigiæ legi; aliis enim in locis non sumunt diaria post asellos. Fuerit ita infelix Ursinus, ut secundæ Romanæ editioni illud adjectivum alleverit in margine, & ex sequentibus nonnulli adsciverint in contextum; sit etiam, qui festine notaverit Matrem simpliciter non dici. Addiderit Cellariana. Utique nunc satis lucescit, nec erat, quod putaret timendum jam esse, ne nesciretur, ut Clericanus Auctor utiliter prævenerit & per plura exempla docuerit, quod in continente utique ignorat nemo. Illic enim nemo non legit fastos Ovidii, in quorum quarto non solum ista

Dindymon & Cybelen & amœnam fontibus Iden
Semper & Iliacas Mater amavit opes.

ſed etiam hæc leguntur ex Sibyllinis libris:

Mater abeſt, matrem jubeo, Romane, requiras.

Ubi Carolus Neapolis jam notavit etiam apud Græcos paſſim Μητέρα eſſe Cybelen, non addito τῶν θεῶν. Nonne iſta Virgilii in III Æneid. *Hinc mater cultrix Cybele*, ut vulgo eduntur, oſtendit Servius ſuo tempore lecta fuiſſe *Cybeli?* unde commentatur? *Mater proprie, cultrix autem Cybeli, id eſt, montis Phrygiæ* &c. In eo igitur quod magnificum emineat, ſanequam eſt pauxillum. Lucretius quum ſemel deſcripſiſſet *magna deum mater materque ferarum*, quoties mox eandem in una & ſola hac voce indigetat, dicendo nunc *Quia numen qui violarint Matris*, nunc *Umbrantes matrem comiteſque catervas*, nunc *Æternumque daret matri ſub pectore volnus?* Nam quod in eadem pagina Mr. Κληρικὸς reſpirare volens ab inſultationis filo quod inceperat adverſus unum, migrat in alienum cœnaculum, ut ſuam & auſpicis ſui doctrinam patefaciat ex cap. VII ſuſtinens ſcribere [ou il eſt parlé de *Curtius*, qui fit fermer le gouffre, dans lequel il ſauta avec ſon cheval, *eques* ſe prend viſiblement pour *equus*, comme nôtre Auteur le fait voir.] En profecto non heroa ſenſum, ſed Therſiticum, in quem duo tam acuti quomodo ſic repente conſentire potuerunt? Quid volumus? Habent ſua labra lactucas, & malo cum peſſimo facile convenit. Nunquam quidquam eorum cogitavit Minucius. Recte omnino Rigaltius Curtium intellexit lacum, quod ſubſtantivum cur exprimere noluerit, cauſas certas habuit Minucius, qui egregius juris ſtudioſus nihil temere voluit ponere, etſi forſan illi non magis

cas

eas agnoſcere velint quam in eo, quod ſupra occurrebat de τῷ *diſcedens*.

Pag. 130 Ecce invidiæ cumulum, qui hanc bigam impellit, ut ſint perquam ſupini in tractandis verbis capitis VIII. *Quæ nocturnis congregationibus & jejuniis ſolemnibus & inhumanis cibis non ſacro quodam ſed piaculo fœderantur*: ubi primo agitur de nota Heraldi, quæ eſt hîc intempeſtiva, ubi non erat locus mire exſpatiandi in ritu antiquitatis Chriſtianæ, qui omnibus id agentibus affatim fuit notus, & facile noſci potuit, quum etiam hîc non agatur de illuſtratione Chriſtianarum ſolennitatum, ſed contra ut eas peſſimis modis deriſas & vituperatas eſſe cupiat Cæcilius. Sed tamen Mr. Κληρικὸς poſt laudationem Heraldo ex hoc facto oblatam ita aggreditur alterum ſubſannans ex oppoſito [s'il n'avoit dit qu'il falloit lire *jejuniis olentibus* parce que l'haleine d'une perſonne à jeun eſt ſouvent forte. Mais Mr. D... dit, avec raiſon, de cette correction, nihil putidius.] Equidem nullus intercedam, quin homines feri indulgeant morbo ſuo & mendaciis & illiberalibus jocis. Non vocata eſt correctio ab auctore; mentitur qui ita loquitur: non ab eo dictum eſt, qu'il falloit lire; qui id dicit, petulanti utitur lingua: non ea ratio data eſt mutationis; mentitur qui eam ponit. Quibus *jejunia olentia* diſplicent, illis placeant *baſia olidiſſima* ex Petronio, digna certe, quæ illis præbeantur; dum demonſtrant ſe inter fetutinas & olenticeta ſtuduiſſe. Quomodo deridet facetus ille *jejunia ſabbatariorum?* utrum eo reſpectu, que l'haleine d'une perſonne a jeun eſt ſouvent forte, an quod perpetuo ingratus fragraret halitus oris Diis hominibuſque inviſi, etiamſi vel maxime guſtaviſſet, ſed cujus tamen nauſea augebatur etiam pro-

pter sabbatorum, ut temere opinabantur, jejunia? Hoc interim patet jejunia sabbatariorum ab Martiale derideri non alio respectu, quam ut indigetaret esse olida vel olentia. Interim rogat adhuc ille, qui a jamais dit *olentia jejunia?* Jam supra vidimus id in eo genuinum & perpetuum. Qui nihil ex vero scit contemplari, nec vere de eo potest loqui. Alius illum rogat, qua in parte non adæquentur *jejunia olentia* & *aræ fœtentes* aut *olida acerta?* De omnibus tantundem ille novit. Sed invidiose loquentes adeo rem invertunt. Ita & aras & jejunia & acerras ad bonum olim instituta similes huic homines potuerunt ad jocum risumque aut fœditatem trahere. Id nunc quoque tentatur ab Cæcilio. Porro idem rogat, quomodo cohæreant *nocturnis congregationibus & jejuniis solennibus & inhumanis cibis?* quomodo duobus extremis tam tetris & vitandis credibile sit ab hoste pariter omnia vituperante & prorsus pari tenore inseri *jejunia solennia*, quæ nonnisi in bonum & faustum accipi queunt? In antiquis occurrunt toties *hymni solennes*, *solennitates hymnorum*, *ritu solenni*, *exequiæ & epulæ solennes*, an hæc talia sunt, quibus apponi possint aut inhumani cibi aut nocturnæ congregationes, prout nunc invidiose dicuntur? In hac rationis necessitate illud *olentia* propositum est. Sed mendax ille nihil nisi mentiri novit aut potest. Hoc enim est, quod in Leidensi editione urgetur simplex & clarum satis; sed quod iste scabiosus orcus aliorsum trahit scribendo, que le Critique de Leide dit que l'on ne pouvoit pas blâmer alors les jeunes solemnels des Chrétiens. Nulla mentio hujus sententiæ fit in nota Leidensi; & nihil ibi tangitur eorum, quæ fieri aut dici potuerint a paganis contra jejunia solemnia Christianorum; res ipsa enim

enim monſtrat omnia bona Chriſtiana ab gentilibus potuiſſe detorqueri in pejus. Agitur illic de Minucio Felice, qui introducit Cæcilium inſurgentem acriter adverſus eos, ſed ternario numero jungentem ea quæ jungi nequeunt, & ut in nota dicitur, non conveniunt. Tria omnia invidioſe protuliſſe poni debet Cæcilius vituperans & objectans ut duo extrema, ſic quoque medium. Quando dicuntur *jejunia ſolennia*, vel ut alibi, *jejunia ſacra*, alors on ne peut pas blâmer, & on blâme auſſi point. Ou ces jeunes ſont accuſez de nouvauté, ibi non dicuntur *ſolennia*; ſed malevolentis verbi appoſitione conſuerunt dehoneſtari, ut aræ fœtentes. Hinc apparet ſi unquam prodiit caries judicii, nihil poſſe proferri hac pronunciatione carioſius. Et tamen ſcribit Clericalis morio: De ſi violentes conjectures meritoient d'etre examinees de plus prés, avant que de les expoſer aux jeux du Public. An hæc manus plane ἀπαίδευτος ſuſtinet deteſtandum ſui conſpectum humano generi offerre? Debebat potius. ſed ſt.

Sane poſt illum maſculum ab Ultrajecto Gazettierum Menteurium, & poſt illud vigilax Somnium nullus eſt, qui ab iſto Mr. Κληρικῷ tam foriolo, tam incontinenti, ut etiam in c..... ſibi cacare negligat, ullam probam vocem expectet, aut minimam honeſtatis ac veracitatis, nedum pietatis guttam, reſidere credat. Itaque etiam ipſe id probat in capite nono, ubi iſtud Clericale cerebrum exundans nugis & falſis delationibus effert aliquid ſuum, in eo quod Minucius ſcribit *caput aſini conſecratum neſcio qua perſuaſione venerari*. Certe nulla eſt hic appoſitio Anglici nominis. Quod quum ubique illi ſit pro regula non tantum & linea, ut inde viam

dirigat, sed etiam pro cancellis & crate, ne ad hoc aut illud latus excedat nimis, colligi inde potest, quomodo miser & infelix, sed tumidus, licentiam sumens sit in infinitum aberraturus. Patet ex initio, ubi statuit ad quid noscendum non aliquis sit obligatus, sed ea conditione, ut postea de eo verbum non faciat. Et quò non hic sutor ultra crepidæ pergulam ruet? Ne alia adducamus, nullus ab illo homine aliquid in hoc argumento poposcit. Ipse se ultro ingessit. Fama sæpe dixit in Romanis & Græcis rebus, etiam, ut infra patebit, Ecclesiasticis eum obligatum non esse ut aliquid sciat, sibique conscius sit se nihil in illis scire; nihilominus teneri non potuit, quin ut magnus magister de omnibus scriberet ita ut doceret nihil. Aliter enim id fieri nequit. Itaque nunc apparebit plenissima ejus turpitudo. Quum intra hæc verba consistat Minucius, quum notæ Leidenses *venerationem* illam fateantur se non intelligere, Clericalis ille nebulosus audet scribere pag. 131 Cecilius reproche aux Chrétiens, qu'ils adoroient une tête d'âne. An non id patens est mendacium? an non est mendacium Mr. Κληρικῷ & duobus KK conveniens? Vitavit Minucius verbum *adorare* in hac parte: manifeste id adhibuit in criminatione demum sequente, quæ alienissimum quid continet. In notis etiam nulla mentio adorationis. Et sic tamen ille verres Circea vi alienatus ab homine insulcit hîc adorationem. Immo sustinet etiam iterare, que l'on disoit a cause de cela qu'ils adoroient la tête d'un âne. Ex his utique duobus stigmatibus animi ejus agnoscitur insita fallacia (an conveniens titulo Theolog. quo se palliari adfectabat?) & prævideri potest vanitas, quæ sequutura est. Ne ipse quidem maximus Vossius lib.

3 de

3 de progressu idololatriæ cap. 75 vel semel judicavit usurpandum in hac re verbum *adorare*, sed tantum colere, etsi novisset; immo citavit Latinos, qui dixerant *cœli numen adorant*, & Græcum, qui sustinuerat dicere προσκυνεῖν. Ipse tamen abstinuit, & quo magis ille insignis Doctor abstinuit, eo torvius & contumacius hic hircus obnititur, ut sæpe utatur. Quodcunque autem dixerit, ad illustrationem Minucii non magis pertinet intempestiva doctrinæ jactatio interpretum de onolatria Judæis exprobrata, quam juste requiri potest, ut Cæcilius eam memoraret; de quo fatetur Il n'etoit nullement besoin que Cæcilius parlat ici des Juifs, dont il ne s'agit pas. Omnino sicut ea abstinuit Cæcilius, etiam abstinere potuerant commentatores, præsertim quum quæ adferunt, sint vulgaria & omnibus bene nota. Quod mireris in hac parte, ne ipse quidem eximius Vossius loco citato sustinet scribere id crimen ab Judæis transferendo venisse ad Christianos, ita ut id manserit etiam hoc tempore; quippe quum egisset de Judæis, pergit: *Judaeorum exemplo Gnostici etiam dicuntur utrumque animal coluisse* &c. ut tandem sequatur: *Imo calumnia hac de asinini capitis cultu in veros etiam derivata est Christianos, ut indicat Minucius*; ita nullam ibi de traducto ab Judæis ad Christianos cultus ejus vitio vel mentionem facit, tantum similitudinem exempli ponens, nedum ut tale quid affirmare contenderet. Sed quod mœrere oportet, quod hac occasione emendemus licet, scribit Huetius in Demonstrationis Evangelicæ propositione IV pag. 89. *Unde & asini caput in sacrario collocasse & adorasse dicti Judai, ut est apud Josephum & Minutium Felicem.* Utinam hic posterior

rior non fuiſſet nominatus! neque enim uſpiam hoc apud illum legitur. Sed quem apprehendit hic polypus, perſequitur tamen, & quoniam citata ſunt ab eo in notis Leidenſibus Heraldina ad Arnobium, ideo ſcribit: Si Herault a dit, ſur le livre VI d'Arnobe, que les Chrétiens étoient accuſez d'avoir des ſimulacres qu'ils n'oſoient pas montrer. Vides, quam pravus ille Mr. κληρικὸς calamum verſet mendaciis circumdatum, ut nihil ſine illis & ſine fuco ſcribat. Nec Heraldus nec nota Leidenſis aliud habebat quidquam præter hæc: *colligebat diſſeminatam de capite aſini fabulam fuiſſe, quoniam exiſtimabant Chriſtianos habere ſimulacrum aliquod, quod colerent, & unius dei*: non aliter Heraldus, quem legit & inſpexit perinde ut nuper illum jocoſum Plut. in Galba: *idcirco Chriſtianos, quos ſciebant unius Dei eſſe cultores, exiſtimabant ſimulacrum aliquod, quod colerent, habere, ſed occultare. Unde diſſeminata de capite aſini fabula.* Litavit igitur ſolenniter Mr. Gazettierio-Κληρικὸς accurate & ampliter ſuæ nefandæ incontinentiæ. Dic aperte, tu homo, combien des ſimulacres étoient ils accuſez d'avoir?

Hinc tamen ſecundo iſte mitigator ingenii Theologorum, prout ipſe ſe deſcribit, trahit præter novam mendacii ſegetem ratiocinium pulcherrimum & teterrima indole dignum: il n'a pas nié pour cela, comme Mr. . . le croit, que cette calomnie n'eut été originairement inventée contre les Juifs & en ſuite miſe en uſage contre les Chrétiens. Quid tu potes ſcire, nedum dicere, quid ille credat, qui nunquam te uti voluit, nunquam ſermonem dare? de Heraldo quum colligit *il n'a pas nié pour cela*, an ergo poteſt inducere et-

iam ch'il a avoué pour cela? Notam illam quod attinet, in tota ea nihil eſt de prima origine iſtius calumniæ. Manifeſte ibi exprimitur (*interpretes fruſtra eſſe opinor, quum Judæis inflictam exprobrationem nunc credunt traductam eſſe ad Chriſtianos. Nihil hîc de Judæis, & proprium quid Chriſtianorum tangitur.* Itaque quid olim contigerit, ibi de eo non ſatagitur, ſed de hoc tempore & hoc loco & objectione quam facit Cæcilius, & oportet Minucio adhærere. Quis aliquid legit, qui non de Judæis novit? vel Plut. in Sympoſiacis qui legit, quod volumen non magis novit Mr. Κληρικὸς, quam Galbam. Etiam in primi temporis Chriſtianos id valuiſſe credatur. At Minucii tempore nimis noti, explorati, perſpecti jam erant, & vita eorum ſic aliena ab Judæis, ut tunc continuatio iſtius criminationis nequiverit obtinere. Plinii epiſtola intercedebat, nequid inter eos & Judæos commune crederetur præter Dei veri nomen & cultum. Potuit vir doctiſſimus per primos Neronis annos quum legeret deſcribi fæminam inſignem ſuperſtitionis externæ ream, notare ſe credere, Chriſtianiſmi accuſatam, ſive, ut tunc confundebant, Judaiſmi. Forſan ſic bene hæſitans; ſed quæ ſequuntur de continua ejus triſtitia, certam dant notam prioris. An in perſequutione Neronis vel ab Tacito vel ab Suetonio notari Judæum legimus, qui conjectus fuerit in moleſtam togam? Enimvero Cæcilius inceſſit Chriſtianos ex eo, quod ſuo iſto tempore de illis jactabatur, & quo tunc vituperabantur Chriſtiani, nequaquam conſiderato, unde iſtud primo fuiſſet exortum. Sane non erat nunc iſtud tempus, quo Judæos & Chriſtianos pro iiſdem haberent; patet ſciviſſe bene utroſque ſeparare & diſtinguere, quum maximo diſcrimine diſtarent. Non

quum

quum fiscus Judaicus acerbissime actus fuit sub Domitiano, in ejus causam legimus Christianos tractos fuisse.

Itaque & Heraldus locum Minucii allegans non judicavit occasione ejus statim agendum esse de prima hujus falsæ exprobrationis origine, certe il employe ainsi son trop de scavoir & son bon gout, ut ne tangat quidem; multo minus ut ab ejus prima origine deducat in Minucio nominatam istam calumniam, prout nota Leidensis putat etiam frustraneum laborem Minucianis impensum esse ab Wouwero & sueto ejus imitatore Elmenhorstio, quia non magis adiuvant Minucium aut sententiam ejus clariorem faciunt, quam laboriosa collectanea Clericana Epistolas Ciceronis ad Atticum.

Interim Mr. Κληρικὸς in mentiendo περιοδονείκης pergit interpretari Gallice Latina, quæ quum dicant *certe potuerunt hi aut domos suas ornare tabellis vitam Servatoris exhibentibus*, *aut etiam mox conventicula*, ille sic transfert; parce qu'ils pouvoient embellir leur maisons d'images, qui contenoient la vie du Sauveur & ensuite les lieux de leurs Assemblées. Credis id, lector, & forsan bene actum esse dices. Sed an credis quoque sequentia? Nam hinc exclamat Mr. Κληρικὸς: Voila les images retablies dans l'ancienne Eglise par la conjecture de Mr. Gr.. contre l'opinion generale des Protestans, qui l'avoient nié jusqu'a present, in quibus opinabor esse quoque Mr. Κληρικὸν, sed solummodo quod hanc partem. Sed quæso an tabellis ornare domos, quæ talis generis sunt, ut vitam alicujus exhibeant, est embellir les maisons d'images? aut dicetur tale? Deinde imagines primævæ Ecclesiæ, de quibus Protestantes generaliter censent negando, utrum fuerunt tabulæ
ad

ad domos exornandas tantummodo suspensæ & parietes vestiendos, an quibus instar cultus deferebatur, & quæ directo propterea ponebantur, ut iis exhiberetur quædam reverentia indebita? Nisi fallor, id apparet par la chose mesme. Intelliget enim Mr. κληρικὸς suaverba. Mirum est prorsus, quod non addiderit eximia doctrinæ suæ specimina de domibus Christianorum, quomodo fuerint adornatæ? An præter parietis conspectum credat nihil fuisse in illorum ædibus, nec vel Epaphroditus vel Domitiani frater patruelis ullo genere ornamenti variaverint suas domos? Quid concipit in primævo Christiano? an ut instar Diogenis habitaverit, nihilque concinni adfuerit in ejus habitatione? aut sola egestas eum enecaverit? Utique sub Nerone jam, sub Hadriano & ante Tertullianum habent quoque opes. Quum gentilium tabularum obscæno & nefario conspectu non toleraverint vitiare suos oculos, an ideo nihil nisi lapides aut ex calce tectorium unius coloris spectarunt? Quidni & ipsi Christiani pictores confecerint illis picturas ab sano conspectu non rejiciendas? quod in hæc tempora non congruere quis dicet? Verum qui ut Græca novit Latine interpretari, quod docent Menandri fragmenta, sicquoque istam partem notæ tractare sustinet. Hæc qui legis, proculdubio dicis, at Mr. κληρικὸς non tam respexit privatas domos, quam quæ illic adduntur *conventicula*. Præclare sane: ideo ad illa jam accedo. Nempe vocem *Assemblees* scribit majusculâ primâ literâ, quod nequaquam facit nota Latina ad Minucium commemorans *conventicula*. Itaque supponit illas Assembleas, credo, multum eminuisse, aut fuisse pari magnitudine ac hodie est insana Vaticanitas aut Byzantina Sophia, aut certe ali-

aliquod ſimile templis publicis Amſtelodami cum ingenti unicornu in aerem elevato, ut inde merito appellari poſſit ancienne Egliſe etiam majuſculo charactere ſcribenda. Immo prima conventuum Chriſtianorum loca non erant niſi privatorum ædes, ut indicant ipſæ Apoſtolorum epiſtolæ. Poſt eos mortuos quamdiu duravit iſta ignara aliis conveniendi ratio? Certe diu in tanto perſequendi furore. Satis docet ipſa Roma Subterranea. Et tamen in illis fuit quidam ornatus non tantum ab aliis pretioſis, ſed & ab tabellis pictis. Quarum quod fuit argumentum? Haud dubie petitum ex rebus geſtis ab eo, quem ut ſalutis principem aſſidue commemorabant; at hæ profecto exponi oculis non poterant, niſi & lineæ ducerentur, quæ ipſum exhiberent. Unde enim potuit Alexander Severus, cujus ætas omnino eſt citerior trecentis annis, quos jactat logiſta, non ſuos, ſomniaviſſe de imagine iſta, niſi conſtaret eam conſpici in domibus & conventiculis? Sed in his omnibus nihil eſt de imaginibus adorandis. Vides, lector, quam leniter te deducat, quod eſt artificium aſtutiſſimi fraudatoris. Deinde & ratiocinatur Clericali vehementia: car les Payens ne les auroient jamais accuſez de n'avoir point de ſimulacres, ſi l'on en avoit vû dans leurs maiſons & dans les lieux de leurs Aſſemblées. Quid ergo? Nempe ſic procedit ratiocinatio Mr. Κληρικȣ̃: ſi quis picturis exornatos habet parietes, illi licet exprobrare cultum ſimulacrorum. Cujus opus eſt ſic progredi? utrum hæc eſt logica aſini, an porci, ex quibus coalitus videtur Mr. Κληρικὸς plane jam Ονοχοιρίτης, ut illi finxerunt. An ita ſapit ex argumentatione ſectæ quam tenet, & poteſt ulli turbæ hic homo ſic placere, ut in dubium veniat, an ta-

lis

lis tantæque rei Professor mereatur creari? Quantus συναρπαγμὸς rerum & actionum remotissimarum ac diversissimarum? Quanta confusio locutionum, quam nisi furiosus committere & sic in idem trahere tabellas, images, simulacres nequit? Nos qui hodie ornamus vel domos privatas tabellis pictis argumento persæpe sumpto ex historiis sacris, qui domos precum publicarum ornamus fenestris ex picto vitro & colorato per relationes plerumque sumptas ex vetere aut novo Testamento, nobis objici posse ait Mr. Κληρικὸς simulacra adorata. Voila πικρίαν, μωρολογίαν heu quanto graviorem, quam in Ephesiis olim animadvertebant! Sed ille tamen sibi jocosus est & opinor perplacet pag. 133, ita ut valde dissimulativus & retenutus & discretivus & feuilletantius & defensivus veniat, temporique possit parcere, donec scutum vel ficulneum arripiat. Neque enim unquam crediderim ea quæ nunc scripsit, potuisse etiam tunc scribere, quum gymnada XVIII contraheret, quod persuadere cupit. Non eo usque patet Καππακαππὶς robur; nec potuit hæc scribere, nisi præscriptas summulas tradidisset Cantabrigia; quod inde patet, quia nihil aliud profert, nisi cujus lineas ibi ductas vidit. Quum tacet nec fortiter utitur stimulis ad chimæras quas libenter tractat & acute perspicit, certissime constat hærere miserum & æstuantem trepidare; unde & ipsum & vraisemblanciam Anglicam æstimo quanti est, & auctoritatem Antiquorum inde venientem tantidem. Sed nunc accepto ex Anglia sepimento ex morte revocatur in vitam, & insultat etiam pag. eadem au regard de son Tome XVIII. credo, ut delusum ostendat Gazettierium Menteurium, qui nescio quæ sibi placita ex silen-

tio tunc Mr. κληρικῶ trahebat pag. 35 (inde iſta derivans, unde etſi poterant oriri, tamen non erat faſſurus bellulus) ideoque alium improbantem & temere iſta jaci prædicentem gravatus; at nunc confirmat Mr. κληρικὸς, nefarius officii Chriſtiani ratiocinator. Cur enim negat talibus tabulis ornatas fuiſſe domos Chriſtianorum, quum ſepulchra ſic fuiſſe ornata cælaturis etiamnum quotidie videamus in Roma Subterranea? ſervos indulges Chriſtianis pag. 134, ex indicio Cantabrigienſi tamen; tabulam non dabis pictam aut Hebraico aut Euangelico argumento?

Tam turpiter quum videas, lector, Mr. κληρικὸν in materia hujus capitis verſatum eſſe, jam agnoſce vivacitatem & lenitatem, qua ſermo ejus deduci incepit ad hanc cauſam, ſibi arbitrium ſumens pronunciandi, quid quiſque n'eſt pas obligé de ſavoir; etiam imponendi hanc legem, ut il devroit au moins ſe taire en de ſemblables occaſions pag. 130 & 131. Patet illum puniri ea parte, qua maxime laſcivit. Non ſermo eſt hominis, non judicium ullius veritatis. Hæc duo vult aſſidue exercere, & aſſidue in illis errat. Cur ſumit ſibi arbitrium judicandi, quid quiſque ſcire non debeat. An putat hujus judicii judicium non aliquando ſe ſubiturum? Quod quum ita ſit, mirari quoque noli, ſi poſt tam ferinam mentis incitatæ agitationem denique ſimiliter bellam & lepidam videas clauſulam, prout hîc cum inæquali tonſore agimus, que nôtre Pr. donne ridiculement aux maiſons des Chrétiens, qu'il le garde deſormais pour la ſienne. Rem neſcio quomodo difficilem ei Pr. ſed non ſuo, proponit, nec talem ut a qua abſtinere poſſit. Non enim ita ſe removere poteſt ab antiquitatis cultu, ut non interdum ei indul-

dulgeat etiam adferenti secum tabellam, quæ imaginem asini vel asinini capitis habeat impressam, ut fuit ista ex Calendario Lambeciano, qua opinabatur ornari Minucium Felicem. Sed sodes quæ ista tua aversatio est plane Stygia ab conspectu asini? An Vector reverendus te id docuit? an illi primi trecenti anni, quos egit Ecclesia, & quos nominare potes, id quoque tibi inculcarunt? Immo non potes in scriniis habere Romam Subterraneam, non potes primævas Christianismi tabulas inspicere, sive illas ad domum ornandam sive ad sepulchrum adhibuerint, quin hic segnipes domum tuam ingressus sit. Immo ut cognoscas argumenta sive picturæ sive cælaturæ veteris Christianæ, & discas aliquid quod reverearis, inspicesis Romam Subterraneam Parte prima pag. 177, 185, 199, 351. & Parte posteriore pag. 71 & 73, ut scias quantopere cupiverint Christiani illum dominicum in Hierosolyma ingressum habere sub oculis, aut II, 349 si vis id animal videre ad præsepe. An vero tibi jam sordent picti aut sculpti asini, & illi veteres? an dicis te loqui de recente, vivo ac bipede, qui tibi sit simillimus? Id sane monet. Sed & in hoc nihil est nisi Sardonius risus? En monitorem importunum prorsus! Mr. κληρικὸς aliquem monet, ut suam domum septam tueatur ab introitu monstri, quod asino perquam sit simile. Frustra monet; fecit enim alter sedulo & cavit, ne pateret tali portento, qui quum esset κάθαρμα, etiam asinum Phædri, istud ἀνέριγον corculum, adsciscebat, quum sic palpans adsiliret. Audi ipsum rugientem Amstelodami a. d. VIII. Idus Julias CIↃIↃCXCVII. [Clariss. & Doctissimo viro J... G.. S. P. D. Joannes Clericus. Miraberis forte, vir doctissime, qui per

tot annos in Hollandia commoratus numquam te compellavi & quædam etiam ſcripſi, quæ minus tibi placuerunt, nunc haſce litteras, cum Opuſculo Critico, ad te dare. At velim ſcias quidquid ſcriptum ſit a me, neminem tamen hominem eſſe in Hollandia, qui æquius de laboribus tuis, indefeſſaque diligentia, & ſtudio juvandarum elegantiorum literarum, judicet, quam ego; quod potuiſti ab amicis communibus fortè inaudiviſſe. Itaque cum edidiſſem opus Criticum, hoc eſt, de quo optime judicare poſſis, & in eo etiam, non ſine honoris præfatione de te & patre tuo nonnulla dixiſſem &c. Præſtat me... amicitiam tibi noſtram offerre, & tuam ambire. Quod ſi eo animo acceperis quo offero, erit cur mihi gratuler & præterita omnia oblivioni mandari cupiam.] Immo eat ille Ætnæus cultor, & Galateam ſuam ſic fricet.

Tranſit ad caput x, & perquam audacter adſeverat Cæcilius dit des opinions des Chrétiens &c. *at enim Chriſtiani* &c. C'eſt ainſi qu'il y a dans le MS. Hic nempe locus eſt, qui in hoc principio oſtendet diſcrimen inter virum ſtudioſe agentem ſeria & famæ bonæ memorem, & inter eum, qui præ negligentia, deridens omne legentium genus, ſuſque deque habet quid ſcribat, qualis eſt Mr. Ἄννις Κληρικός. Nam huc uſque prorſus ignoratum eſt in MS. exſtare *at enim Chriſtiani*, quum tot ſcrutatores, qui ſub oculis habuerunt has literas, cuncti edant *at etiam*. Hoc primum. Deinde ſequuntur verba *qua m ta nra*, *qua portenta confingunt*. Itaque Gallice hîc jam accinitur pag. 134 ſur les mots quatriéme & cinquiéme on voit des barres, qui marquent, que ce ſont des abreviatures. Eſt autem dignum obſervatu in hoc loco lineas

lineas ductas scribi ab Rigaltio, quum id nuspiam in tam vetere exemplari contingat alio loco; certe quod idem ille Rigaltius indicet. Quin etiam Rigaltius tacet, utrum istæ lineæ præferant idem chirographum & calamum & atramentum, quod reliqua. At tu, compendiator brevissime, ostende abbreviaturas in isto volumine exstare. Nos utique ex scriptis doctorum hominum non vidimus nisi ex Rigaltio in hoc loco, qui tamen nihil inde colligit de abbrevaturis vestris. Ad nos autem nihil pertinet, si Monsr. præterat *quanta monstra*, quod in nota Leidensi etiam proponitur. Id autem sciri oportet, non idcirco id pro vero stabiliri, si ab Lucretio & Cicerone aliquoties & vel quinquies in singulis conjungantur *monstra* & *portenta*. Attende Mr. κληρικὲ, tam Lucretiane quam Ciceroniane, qualis est Anglus tuus. Nota sunt utriusque auctoris ista, quum & ex Cicerone collegerit tria ista Nizolius, & in Lucretio ex libr. IV & V notet duo exempla index Lucretianus editionis in usum Delphini. Inde divina Cantabrigiensis lucubratio potuit, agnoscimus, facile exscribere. Sed cur ex propinquo omittitis illud exemplum? *Quod hoc monstrum est quodve prodigium?* An nescitis ubi id legatur? Diximus jam vobis & addite ad vos confirmandos. Nec tamen inde pro certo adseverabitur unquam etiam ab Minucio ista junctim prodiisse. Multa quidem ille habet ex Cicerone; sed potest hoc ipsum non inde habere, sicuti multa alia Ciceronis non habet. Cur non adduxistis etiam hos versus?

————— *Certe non augure falso*
Prodigii patuere minæ, frustraque peracto
Vulnere monstriferi præsagia discitis anni.

Ita adferretis aliquid vestrum. Nam nostis bene, ubi exstent, in quibus habetis juncta *prodigia* & *monstra* poetice. Mensuram vero istam relinquo huic modiorum exactori, qua on le lui prouve par trois exemples de Ciceron & deux de Lucrece, qui suffisent pour persuader. Habeat sibi & acquiescat istud servile & barbarum pecus, fruaturque tali persuasione, quam omnes novimus illi inesse; vel non fuerit necesse tam aperte tantam stultitiam præ se ferre; nempe quum alicunde quinque exempla convehi possunt, inde alteri auctori debet illa ipsa loquutio impingi. Sed quid audio? an *quam inania* est magis eloignatum ab abreviaturis MS. his Rigaltianis *qua m ta nra* cum suis barris, quam *quanta monstra*? Quum nulla alibi in codice unico occurrat breviatura, an innocentior via eligi aut muniri potest ad restitutionem, quam persequendi ipsos solos accurate apices qui exstant? Stupere oportet, unde hæc monstra huc adducantur; minimum debuerat concipi in MSto *mra*. Immo τὸ *quam* illic exstat integrum. Supersunt apices *ta* cum lineola superducta, & *nra*, etiam his inducta eadem, aut divisis lineis, prout Rigaltius edidit, qui potuerat non ita molestus esse. An ex apicibus *tania* potest aliquid simplicius aut probabilius profluere? Lippis & tardis id potest esse eloigné, non clare videntibus. Sed alterum & contrarium pronunciat hic Threcus judex : *sent la barbarie*. Personne ne diroit *quam inania*, *qua monstra*, que le Critique de Leide, qui joint des mots, qui se sont jamais vus ensemble, que dans ses Ecrits. Audis solita Clericana. Igitur nonne agnoscis hæc piperato, hoc est, Theologastri-Clericano garo temperata? Quid mirum si Leidæ bonum quid fiat, quum Am-

Amſtelodami tu, archimime ineptiarum, utraque iſta in animo & corpore poſſideas juncta, PLUT. IN GALBA clamante, quanto impetu prætemavigaveris illos unde ratio doctrinæ apparet, & ſis inaniſſimus; Menandri fragmentis indicantibus te prodigium eſſe in Græcis; in aliis autem doctrinis quantus ſis docet Macrobianus Adad, quem ſimiliter arrepto Anglico inſtrumento ſuſtinuiſti attingere Latinis verbis, quum Stanleii Philoſophica inquinares. Quid autem dico hæc in te jungi, in quo quam prope inania ſunt immania? Itaque neſcio an non erraverim, quum in te junxeris *immaniſſima portenta*, quoniam quoties Latine ſcribis, vis utique ad Ciceronem ſcribere. Sed Minucius ſcripſit *quam inania, quæ portenta*, ab leniore adſcendens ad gravius, quaſi præſcius ita loqueretur, ut ſepulchro bonæ famæ diu in te mortuæ ſcalare hoc apponeret poſſetque a pedibus ad caput percenſere iſtud ſtultitiæ ludibrium. Quid vero? an ſtultorum ſtultiſſimus negat inania talia eſſe, ut illis portenta debeant apponi? Unde igitur iſte ita ſcribit? *Cuidam totius urbis funeri prodigioſum quiddam minabantur: nam populoſis hominum conventibus domeſtica ſilveſtrium ferarum ſpecies obverſabatur. Deus viderit an ludificans oculis, an adducta portentis: quidquid tamen ex iis duobus foret, perinde monſtroſum intelligebatur, ſeu ſic veraciter immania beſtiarum corda manſuefieri, ſeu tam horribiliter conſpectibus territorum falſæ viſionis phantaſmata poſſe confingi.* Et hunc locum bene noſtis, quia habetis more Theologaſtrico indices: certe abundantiſſime iſte locus præbet ſeu inania ſeu portenta, & illa jungi. Quid quum de phœnice iſte ſcripſit: *Illum dico alitem orientis peculiarem, de ſingularitate fa-*

 moſum,

mosum, *de posteritate monstruosum*. An non illic per posteriora exprimitur *portentum*, per media *inane*, & quod tantum constet in loquacitate vulgi? Quid quum ille Græculus dixit *αἱ ἣ γυναῖκες ἔτικτον ἔμπηρα καὶ τέρατα*, nonne per prius expressit homines inanes & ita natos, ut numerum hominis nequirent explere? Immo, Monsr. si *quanta monstra* scribere voluisset Minucius, ordinavisset *at etiam Christiani monstra quanta*, *quæ portenta*, ut infra ait ex persona Octavii *jam providentiæ quanta*.

Hic stat sonipes & interloquutionis quodam genere utens diversitatem ingeniorum in legendo jam aggravans, ferire conatur acrius, non modo vocans in auxilium opes & curas certorum hominum, sed etiam officium ac normam præscribens, si velint vetustatem defendere adversus aliorum, quæ insinuare possent, depravationes, credo sicut ipse Lynceus in Arte Critica potuit tam sagax esse, ut vias depravandi signaret in principio Officiorum, quum ab Gronovio statueretur legi oportere *utrumque*, ubi codices MSti habent *utrique*. Hos cuniculos ille sagax detexit, ut omnia. Sed osculor *τὸ depravations*. Nullam vocem magis suavem ex illo Perilli bove prodire sentio. Jam unice mihi placet: sic enim vocari ab eo debet, si potest bonum esse; & quia sic vocat, patebit infelix ejus arrogantia, tum quoque spero fore, ut judicii claritudo in eo nitescat prorsus singulari splendore. Nam chosa ipsa docebit. Ex capite xx citat Minucii verba, quæ etiamnum nec ab ullo translata in alium sermonem vidi, nec ipse pag. 136 vult interpretari. In Minucio dicit Octavius: *Similiter*, *ac vero erga Deos quoque*, *majores nostri improvidi*, *creduli*, *rudi simplicitate crediderunt*. Licentiam Gallicæ

ver-

versionis penitus ortam ex imperitia vides positam in nota Leidensi. Belga adstrictior, sed impeditus, reddit olim: Van gelycken waren onse vooroudeers seer onvoorsichtigh te licht geloovig en onnoosel tegens de goden. Nuper vero: op die wyse, hebben sy door een wonderlijke eenvoudigheyd gelooft datter Gooden waren. An ibi est expressum *similiter ac vero?* Immo id ab nullo interprete translatum vidi, & ignoro quid sit.

Scribit tamen omnium intelligens depravator: Il ny a rien la comme il semble, qui puisse faire la moindre difficulté a ceux qui entendent le Latin. Sic est; comme il semble, in hoc gladiatore satis est ad conjiciendum ictum. Sed mentitur in animo ipse suo: declaravisset enim liquidius, ut posset aliquo modo sembler. Non potest ille magis intelligere, quam alii. Quid ergo est, cur Ursinus expellat voculam *at* in ora ponens solum *Similiter vero*, & quidem eo eventu, ut Elmenhorstius cum Wowerio ita ediderint anno 1603? sane inique, quum *similiter &* junctim occurrant & alibi, *similiter ac vero* nuspiam, quod scio. Immo cur ipse posuit distinctionem post vocabulum *similiter* nonnisi ab Rigaltio profectam, Ursino & Heraldo ignotam? Cur non ex more, quo solet postulare, præbet scriptorem, qui posuerit aut juncta una *similiter & vero*, vel distincte & junctim *similiter, ac vero?* Dixisset, quid esset Latine scribere. Nunc jactitat de illis, qui entendent le Latin, qui sunt aut ipse solus, aut primus palus, cui secundas agit. Hic quidem quid dicat, videat qui scit; ipse nescio nec multum laboro. Sed ab trimestri nostro editur congeries lascivo marculo conveniens. Novit une etrange metaphore & digne

de l'eloquence de Mr. Gr.. Novit la raison digne de son raisonnement exquis: novit veratrum si ibi in Minucio legeretur, qu'on auroit cru, qu'il l'en falloit ôter, comme fautif: novit notre Professeur en éloquence, in quo tamen vehementer. Sed st. An debent videri hæ observationes proficisci ab ingenuo homine & ullo genere probari? Etiamsi tria priora condonarem, nequirem permittere illud quartum. Errat vehementer; non enim debuit tantopere appropinquare; non est ille ipsius, neque unquam voluit esse, licet tentatus. Mendacissimum est illud *nôtre.* Anglicum pectus gaudeat, quum Mr. κληρικὸς dicit *nôtre Auteur.* Duo priora patet esse indicia insipientis sapientiæ. Sed tamen an forsan hæc didicit ex conventuum istorum libris, quorum volebat esse noster Theologus, ut hæc dulcedo etiam charitatis eliquetur ex hoc Nestore? An hic brutus stipes sic inquinabit aerem hunc talibus non inanibus, sed portentis mendaciorum? An tantæ insultationes, quæ manifeste probant alienissimum eum esse ab omni bono, tolerari debent, quia putat illam notam effusam esse pari levitate, qua ille *ἀσπάσαι*, & quia nunc primo veratrum pro veneno habitum esse audit, quod fieri non posse etiam sibi persuadet, hinc cachinnat; & si foret illic antiquitus ea vox, illa marqueroit un remede contre la folie, comme en effet c'en etoit un. Mais il le prend pour la folie même. Et quis tenetur tam petulco asino succurrere? Sed ut videat sibi objici ignorantiam, quam bene legit PLVT. IN GALBA, sic quoque Latinum scriptorem bonum; an tu sic efferres te, si legisses hos versiculos?

Præterea nobis veratrum est acre venenum;

At

At capris adipes & coturnicibus auget.
Sed quoniam forsan ejuras poetica, quæ & Græca & Latina pessime jam tetigisti, ecce & auctorem in prosa scribentem: *Veratrum venenum est hominibus.* Neque is, qui hæc nunc scribit, primus est, qui hæc junxit: cognita illa & animadversa & publicata fuerunt ante illum natum, ut tanto magis, si quid adhuc inest ingenuum, erubescere debeas simulatione doctrinæ, qua tu sic ἀκρόσοφος caballus decipis totum istud φατριᾶς Arminiacæ corpus & infamia indebita adspergis. Quanquam non sistunt hîc tua mendacia. Scribit Il cite a la verité un endroit de Perse. An hoc statim non est mendacissimum? In illa nota non fit amplius, citatur nomen Persii, qui transtulerit ejus significationem. At ille *un endroit* citatur ab isto onagro, citatur directo & plane, sicut ponit & satiræ numerum & versiculi verba perinde & ejus numerum. Itaque quod ipse facit, transfert in alium. Malignior est in sequentibus. Ait Casaubonum dicere Persium ita loqui de isto poemate Attii, comme si Attius avoit pris beaucoup d'Hellebore, en le composant, pour se rendre l'esprit plus vif & plus net. Vellem ostendi mihi ista in Casauboni commentario de illo Attio posita. Nunquam ille Attius habuit l'esprit vif & net. Nuspiam istud poema ostendit l'esprit vif & net. Nuspiam Casaubonus dicit Attio huic vel postea vel antea vel tunc quum sumeret helleborum mirum quantum, fuisse l'esprit vif & net. Immo Casaubonus vocat corvorum loquacium similem, dicit esse argumentum infelicis poetæ: immo ἀφυὴς enim & ineptus poeta erat. Id est huic homini vif & net. Genus purgandi cerebri fuisse per veratrum non diffitetur Leidensis nota, sed plane agnoscit & ad-

adſentit. Sed quum ebria veratro dicitur Ilias Atti, docet Perſius clare illud eſſe ſcripti ejus venenum, & quanquam multum ſumpſerit Attius, velut in ebrietate contingit, non purgaviſſe ejus cerebrum, ut inde exiret bonum carmen, ſed obruiſſe ita ut eſſet vitioſum totum, ac ſi quid a natura habet concinni, (quanquam id non habuerit) id per potiones veratri fuiſſe abolitum. Quid alii monſtraverint, exſpectabimus.

Progreditur ergo & ut viliſſima clientelæ alicujus portio dicit cap. XXI ſine ulla aut præmiſſa aut ſubſequente arra aliquem eſſe, qui ayant mieux conſideré ce paſſage, le lit de la ſorte. An fœdior ſervæ adſentationis nota concipi poſſet? Major apparebit, ſi cogites in hoc loco ita verſari Minucium, ut deſtinaverit firmiter eum tradere & peragere per nexum copulativæ particulæ *&*, nempe *Vulcanum facit omnium Principem, & poſtea Jovis gentem, & de ſpicis Iſidis ad hirundinem ſiſtrum, & aſparſis &c.* Unde prorſus colligi oportet emendatiſſime progredi illud in medio *& de ſpicis*, ut eſt in MS. Sic Minucius ubique religioſe & accurate ſolliciteque per τὸ *&* rem peragens, & a lectore peragi volens, tamen ab hoc uno ad ſummam perverſitatem delato jactatur aliquis melius tractare hunc locum, ſi auream iſtam lenitatem convellat, adeo ut compellat legi, *ridet ſpicas Iſidis ac hir.* Nec præeuntes blanditiæ ſufficiunt. Ecce enim encomium Mr. Κληρικȣ, ut pateat eum arbitrari poſſe: Si l'on ne peut pas aſſûrer poſitivement, que Minutius Felix s'eſt ſervi de toutes ces paroles, on peut dire au moins, a coup ſûr qu'il a voulu dire quelque choſe de ſemblable. Itaque en priſcam canitiem reſtitutam! At tanta

ta aberratio ab unico exemplari, literarum transpositio & accessio a quo poterit tolerari? Certe non placuisset Heraldo, longe minus Rigaltio, quorum & primus monuit (MS. postea pro *dispicis* habet *de spicis*) & posterior tam attente notavit *de spicis* apertissime legi in unico exemplari. Et unde probavit hic novitatis laudator ab Alexandro hæc rideri? Omnia quæ in hoc capite recensentur, non dicuntur ab ullo gentilium rideri, nedum ab illo, qui in ista regione, ubi opiniones hæ dominabantur, constituit sepeliri. Nempe locus hic continet quiddam, quantum scio, ponendum inter τὰ ἅπαξ λεγόμενα & ad ultimarum antiquitatum origines spectantia, propter quæ servata felicibus fatis oportet gratias agere. In quibus idcirco quid certius, quam ex antiqua lectione sensum, qui simpliciter & sine fuco se prodit, petere, præsertim si satis integra sit; si minus, quam minimum abire? Inter quæ quum codex ille unicus nos doceat ex eruditione ipsius Minucii, qui ex vetustioribus illud percepit, nec incertum unde, nempe ex monumentis Alexandri Magni per sacerdotis notitiam expugnatam ad proditionem, fuisse *de spicis Isidis ad hirundinem sistrum*. Cur istud tartareæ fallaciæ coagulum audet scribere, nunc c'êstre un instrument de l'invention de Mr.. & dont jamais personne n'a parlé, que lui. Habet verba sub oculis: audit citari, unde origo istius notitiæ manet, ac tamen instar hierophantæ per extremam malitiam scribit nunc primum inveniri. Immo est hæc clara & simplex & Latina descriptio rerum, quæ sub Iside & sistro abscondebantur. Sed qui labi volunt, labantur, ut hic candidulus, qui sic mentiri potest, ut nihil supra, etiam de ipso Minucio, & verbis,

qui-

quibus ille fuit usus, quanto meliore ad sanctam fidem & memorandam asininam vectationem quam hic Mr. Κληρικὸς?

Pergit enim insultare nescio cujus disciplinæ face furiatus: Pour le sistre fait d'epis, sous lesquels il y avoit des lames de fer cachées, c'est un instrument de l'invention de Mr. G.. & dont jamais personne n'a parlé, que lui. An ex inferno major confusio inter mendacia impia excogitari potest? Quid enim? an non sistrum de spicis agnoverunt ad hoc usque tempus omnes, qui Minucium ita legerunt? Nominatim Rigaltius scribens facit de spicis Isidis sistrum ad hirundinem, nec semel, sed bis: prodit enim & has voces. *& de frumenti spicis, quas gestat Isis, factum fuisse dixit sistrum.* Immo testante vetere libro ipse Minucius id nos docuit, & hinc originem peti debere; & porro dubitari nequit, quin Minucius id hauserit ex vetustioribus. Cur enim accingitis vos ad tantam violentiam, ut quod fidelis antiquitas suppeditat, id velitis conturbare? Illa vero antiquitas præbet nobis ex fidelissimo monumento *de spicis Isidis ad hirundinem sistrum.* Quid volumus ex hoc certo præcipitari in incertum? nec magna difficultas est hinc colligere sententiam justissimam de origine instrumenti, quod sistrum appellatum fuit. Quæ origo in pluribus sacris gentilismi rerum plerumque habet meram simplicitatem, prout vel maxime hæc sistri. Quin alium fontem, & veriorem, unde oporteat derivari, monstret sane, qui videat Minucio non depravato, nec deerit egregio facto plena gratia.

Sed noster ex impudentiæ suæ meritoria regula pergit insultare: Il n'a qu'a en mettre la figure

gure avec la tête d'âne qu'il donne trop liberalement aux maisons de Chrétiens. Quo pertinet hæc lasciviffima loquacitas? sistrum cur monet jungi ad caput asini? nempe quia scit se esse crotalum mere asininum; unde se contempletur in figura sistri cum capite asini, quum juncta prorsus sint inter pag. 290 & 291? & ex veritate antiqui temporis, & pro qua gratias agere debet Lambecio, quod spectaculum cernat sui ipsius. An vero ille est ex fœce cognitorum legis Cinciæ, qui modum imponat muneribus, & peccantis alterius sector futurus est? quomodo potuit ille donner, quod ipsius non erat, expulso Mr. κληρικῷ ex ædibus suis, & de alieno largiendi causam non habebat; sed jam audivisti quoque nominari, cujus ista benignitas est; nec præbet hic conspectus aliquid, quod abhorreas, quum perspicue te ipsum spectes.

In capite XXI & Jano duas frontes gestante dicitur ab Octavio ridente *quasi ut aversus incedat*, ubi audet notare iste secundarum [Octavius veut dire quasi ut etiam aversus incedat, d'ou vient, que Gelenius a mis *& aversus*, que Mr. Davies ne desapprouve pas] An hodie quis exspectaverat talem interpretationem? An illa clarior est verbis Minucii? Unde novit illud *Octavius veut dire?* Comment peut-il vouloir dire, quasi ut etiam aversus incedat, quand on lit *quasi ut aversus incedat*, comme cet homme le cite. Atqui ante multos annos Belgice versum est, Janus heeft twee aangezigten, even als of hy agterwaarts wilde gaan; & antiquior, even of hy achterwaarts uyt soude gaan. An hæc non vult dicere Octavius? An hæc Belgica spernit ac vitiosa statuit? An non ineptit strenue, quum putat suis verbis mentem Minucii melius

lius exprimi & intelligi, quam per ipsa pauciora Minucii? Sic vestigia scilicet proferri oportebat ad id quod sequitur de vocula *&* ab Gelenio, ut ait, subjecta, prout ediderunt Wouwerius & Elmenhorstius, ante quos Ursinus in oram conjecerat. Sed abegerunt hinc duo soli inspectores voluminis antiqui Heraldus & Rigaltius, edendo *quasi ut aversus*, tanquam ita in eo exstaret. Quum aliud nihil a nobis sciretur, debuit hæc eorum fides pro scopo esse. Atque utinam certius pateat aliquando prisci voluminis scriptura! Quoniam loquax debebat esse Mr. κληρικὸς, loquitur quod quisque noscit, & quod nec diffitetur quisquam; & restituuntur nova aut perdita, sed non ut sint talia, prout ipse Theophrasto impingere voluit ἀπάσας, non ut sit *mobilior exercitus*, quem iste Latinæ Musæ inimicus sustinuit Livio oggerere. Immo quod incredibile est, audet dicere de voce *utraversus*, ce seroit un mot commode, s'il se disoit. At cur non inquirit, an dicatur? An vero gloriatur quemque supponere debere omnia ei pervestigata? Si nuspiam id invenit citatum, cur non ratiocinatur, (homo enim est logisticus, ut passim jactat) an non dictum fuisse potuerit, etsi exstinctum ex fragmentis, quæ hodie supersunt? Verum hic cauto opus est. Itane enim? hactenus potest probare Mr. κληρικὸς, quod ille scripsit? Atqui quia hactenus aut probat aut probare potest ipse Mr. κληρικὸς, nihil solitus probare nisi perversum, nihil solitus improbare nisi bonum, ideo ille, quem scribit faire de nouveaux mots dans les anciens, omnino per ipsius consensum non amplius utitur ea voce, & velut placitam Mr. κληρικῷ abigit. Falsa est, quia placet Mr. κληρικῷ, & ideo repudianda. Quid

tan-

tandem iste infrunitus coprias dicturus erit ad *uls*, *ultior*, *ultissimus*, ut propediem ab eodem illo producetur? Quid autem? Unde dicit *utraversus* esse pour *utramque partem versus*? A nullo haud dubie ita spectatum hoc vocabulum. Hoc proprium est illius, & ideo pravissimum. Sed sic solet devota spolia rapere. Nempe quoniam in Leidensi editione additur [Utroque versus dicitur ab Plauto] ut appareat compositionem hanc in proximis vocabulis factam exstare etiamnum, iste inconditus milvus omnia devorando miscens judicavit alteram vocem esse alteri prorsus synonymam & in significando parem. Hæc sunt studia Mr. Joannis Κληρικȣ̃.

Sed animadverte, lector, quod sequitur. Citat Mr. Κληρικὸς Minucium, vel potius teneamus omnia prout præit Mr. κληρικὸς [un peu plus bas, sur les paroles concernant la Diana d'Ephese: *multis mammis & multis veribus exstructa.*] Post quæ ita notat: Mr. Gr... avoit publié une Dissertation de Lúc de Holstein. Nonne jam veneraris hunc magnum istius cleri tauroboliatorem, qui in loco summam attentionem exigente sic audet tibi offerre voces Minucii, & illam *multis* ita duplicare? Certe in Leidensi editione id non admittitur, nec in ulla, quæ ibi fit, citatione. Sive igitur ex contagio Cantabrigiensi id habeat Mr. κληρικὸς, sive ex sua ineptia, gratuletur sibi tantum lucrum, quo nemo alius frui volet. Deinde an is, quem dicit, publicavit hanc dissertationem, quæ forsan publicata fuit, antequam iste potuit scribere? Immo nihil iste, nisi auxit ejus exemplaria, ut debito tempore adhiberi posset. Sed sic Mr. Κληρικὸς publicavit Livium, ut dicitur, & Freinshemii Supplementa:

quomodo, alias patebit. Addit post relatam Holstenii sententiam [Mais Mr. Dav... est du sentiment de ceux, qui croient que pour *veribus* il faut lire *uberibus*, comme on trouve dans le même MS. ch. XXXVI *verius* pour *uberius*] Nemo vetat eum facere hoc, & sui iste est arbitrii. Sed nihil in his est, quod non aliquoties jam productum est. Sed interim intelleximus falsum esse, quod Rigaltius scripsit in capite citato 36 legi in MS. *verius*, quum palam in eo exstet *uberius*. Et quamvis utraque Romana editio in hoc *verius* antecedat Rigaltium, tamen affirmatum est nobis ex recentissimo visu conspicue illic haberi *uberius*. Hoc igitur quum sit meri fumi conceptaculum, iste tamen plagiator ad arbitri officia ascendens sic pronunciat [Le seul mot *exstructa* le fait voir, car ce mot signifie couverte de mammelles rangées l'une sur l'autre] Quam animi est ubique fallax in explicando, tam luscus apparet in contemplando. Habemus hodieque infinitas tales Dianas Ephesias sub oculis, præcipue beneficio Politiss. Menetreii. An aliud in ea mammosum ostendunt, aut deprehendi a nobis volunt mammosum, quam solum pectus aut collum? ut quum spatium corporis ejus distinguatur per plures velut fascias, singulas insignes proprio rerum cælatarum genere, nullas gerat mammas, nisi tantum circa fasciam, qua continetur pectus? Etiam ipse Holstenius non agnovit nisi molem mammosi pectoris. An ergo hæc pars continebit aut continere dicetur exstructionem Dianæ, ut in ea sola adspiciat Minucius universam exstructionem? Sic nempe si in brevi spatio aliqua res sit couverte de choses rangées l'une sur l'autre, id poterit dare descriptionem totius rei, licet in majore

jore & longiore ſpatio habeat alia. Sunt in hac urbe, ſunt Amſtelodami ædificia, quæ inferiore parte ſaxis ſunt fundatæ ſive albis ſive cœruleis, in ſuprema quæ longior pergit, lateribus ſolitis: an ea dicentur exſtructa eſſe ſaxis? Hoc eſt illud egregium, quod exigit Mr. Κληρικός. Scilicet ſic intellexerunt antiqui. Quid quum Cicero dicit v Tuſcul. 62 *menſæ conquiſitiſſimis epulis exſtruebantur*, intelligentur hæc verba de ſimili portiuncula menſæ, quam pectus Dianæ obtinet in ſtatua integra? Statius quum dicit XI Theb. *Fuderat Aſſyriis exſtructa tapetibus alto Membra toro.* Martialis V, 44. *Mercibus exſtructas obruet unda rates.* X, 79 *Torquatus nitidas vario de marmore thermas Exſtruxit.* Ubi nonniſi ſola iſta quæ nominantur adfuiſſe ſupponuntur. Ergo quum *exſtructus* ſic adhibetur, ut componatur cum ipſius materiæ appellatione, ſolam illam pertinuiſſe in totum opus ſignificat. At Minucius non vult notare in exſtructione ejus fuiſſe uſurpatas multas mammas, ut iſtæ totam occupent; ſed præterquam quod multis mammis fuerit, tum quoque veribus eſſe exſtructam, ut illis innixa rectam ſe teneret, non multis, ſed tot quæ pluralem poſſent implere, quoniam acceſſerunt & alia. Sed hi homines nati ſunt ad ſiniſtre accipiendum, quæ aliter illis offeruntur.

In capite XXVIII ſuſtinet denique ampliter progredi Mr. Κληρικὸς quia didicerat Veſtæ conſecratum fuiſſe animal ipſi ſimile, qui eſt aſinus Clericalis. Et hoc unde didicit? Credo unde citare Plut. in Galba. Attende enim, lector, quam inaniter hoc jactet, a corrigé *cum Veſta vel Epona*, & cette correction a plus d'apparence, que la plûpart des autres qu'il a propoſées, parce que l'Ane étoit

D 2 con-

consacré à Vesta. Magnum ecce eruditionis antiquæ specimen! Nempe quia id animal erat consecratum Vestæ, ideo in Minucio sic legendum. An ille hoc dixit? An nihil aliud est? Sed quam celeriter novit vela vertere, non acumine impulsus suo, verum segnitie obtusa alioquin per alios instigata certe etiam obtusissimis stimulis, quod ille brutus nequit discernere. Hinc adjicit: [Mais il faudroit montrer qu'à cause de cela on mettoit *Vesta* dans les étables, & il y a un endroit dans l'Apologetique de Tertullien ch. XVI, d'ou celui-ci à été copié, où il est bien fait mention d'Epone, mais nullement de Vesta] Rursus ecce, primo quam decenter loci Tertullianei fiat mentio, quasi ea nunc demum excitetur, quum ille ipse locus sit, quem Rigaltius in nota sua jam tunc posuit. Cæterum unde probat locum nostri Minucii esse *copiatum* ex loco isto Tertulliani? An quia Rigaltius scripsit, *unde sua sumpsit Octavius?* Quando Octavius id illi dixit? quove alio indicio significavit? Deinde etiamsi sumptus sit, quid refert, si Tertullianus omiserit Vestam? an ideo Minucius perdit veniam addendi? Species excogitata ab Rigaltio præbuit inventori colorem, quem nullus nisi pro dilutissimo sustinebit aspicere. Uterque opinor sui juris est. Lepidius interim est, quod sapidus Mr. κληρικὸς objecerat antea. Sed quæso an æquum est, ut ab eo monstretur Vestam propterea poni in stabulis? Catus profecto hic postulator est ejus, quod scit fieri non posse, quum Vesta nuspiam poneretur, nisi in suo tholo, aut in nummis. Non enim hîc agitur de illo pervulgato ἀφ' ἑστίας. An igitur debuit hic versutissimus vertumnus ire ad talem postulationem il faudroit montrer qu'à cause de cela on met-

toit

toit *Vesta* dans les étables? Immo an illa juste petitur ideo, quia dicitur *vos & totos asinos in stabulis cum Vesta vel Epona consecratis?* Vesta nulla est, nisi una in suo Vestali arcano. *Stabula* crebro dicuntur pluraliter, quum unum modo intelligatur. Asinos dicit, quia adjicit Vestam & Eponam, ex quibus illa quum habeat unum, quantum scimus, reliquos concedit alteri sociæ. Si micam bonæ & quietæ mentis afferret ad lectionem scripti antiqui, non posset ita furere. Omnino enim istud postulationis præceps ἄξιον ὀβελίσκυ. Sic namque resolvi oportet istam loquutionem; vos & totum asinum in stabulo cum Vesta, & item totos asinos in stabulis cum Epona consecratis. Hoc est, quod circumludit in sacrario Vestæ haberi quoque asinum, saltem unum, omnino in stabulo, quod inde patet, quia stercus inde nonnisi certo tempore egerebatur Romæ, etiam lege sacra adstrictum. Ita satisfactum est absurdis illis flagitatoribus, dum ignari bonarum & veterum rerum, atque etiam imprudentes, tamen de illis perquam perite agere volunt. Cæterum quum pateat fragile & futile esse fundamentum, cui innititur utraque ista balbutiens ratiocinatio, hinc potest simul constitui, quam ineptum esse debeat sequens C'est ce qui a fait croire à Mr. D.. Quippe quod proponit Mr. κληρικός, plane insipidum est, sed præstat exspectare ipsum margaritum. Nam certe particulam *vel* esse Latinam novit unusquisque, etiam quemadmodum usurpetur. Et hæc nobis expressa sunt publicæ lucis ergo ad tutelam Minucii Felicis, & ut regererentur ab eo tam noxia & sordida contagia, & ista phagedæna & pestis eruditarum rerum agnoscat non alia & inde & ab se profecta esse, quam quæ ignorabat.

Hic quoniam aliquid chartæ ſupererat, judicavi eam ſic quoque commode ad paginæ 43 illuſtrationem impenſum iri, ſi totus magni Caſauboni locus ex Perſiano commentario apponeretur. [*Ilias Atti Ebria veratro.* Hoc eſt quam illi expreſſit non copia ingenii; ἀφυὴς enim & ineptus poëta erat: ſed labor improbus ac gloriolæ pruritus, & ſi quæ alia ſunt infelicium ingeniorum irritamenta. cum alia autem excitando ingenio tardo valent, tum etiam interdum pharmaca, inque his veratrum. clarum vel exemplo Carneadis Academici, qui ſolitus elleboro purgari, quoties cum Zenone Stoico res illi erat futura. jámque ea res in morem ſtudioſorum tranſierat. Plinius libro XXV. cap. V. *Candidum purgat vomitione, cauſſaſque morborum extrahit: quondam terribile, poſtea tam promiſcuum, ut plerique ſtudiorum gratia ad providenda acrius qua commentabantur ſumſitaverint.* *Ilias* igitur *veratro ebria*, ſive plena, Perſio dicitur, ad quam ſcribendam multa potione ellebori Attio fuerit opus. quod certum eſt argumentum infelicis poëtæ: quia veri poëtæ naturæ munere fiunt, inquit Pindarus: hac verò deſtituti & ſolo ſtudio freti, corvi loquaces evadunt, non poëtæ. ſic ille Olympionic. oda II. σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾶ. μαθόντες ἢ λάβροι παγγλωσσίᾳ κόρακες ὡς ἄκραντα γαρύετον. aliis verbis ſententiam eandem ſæpe expreſſit magniloquus ille poëta, naturam ubique attollens, artem verò deprimens. lege ſeptimam & nonam ejus libri odam. in tertia etiam Nemeonicarum ψεφλωὺς ἄνδρας, & imperfectos nec germanos poëtas, qui arte fiderent pronuntiat. Rectè obſervat Plutarchus & ſcriptis & factis hominum hoc ineſſe, ut careant gratia cùm appareat coacta & labore multo expreſſa] In his ubi

ubi reperiemus in Attio l'esprit plus vif & net?

Quum tamen sic quoque appareat aliquid vacuæ chartæ superesse, ornemus & illam, redeundo propius ad paginam 26, ubi acceditur ad verba Mr. Κληρικοῦ pag. 130 *savoir les usages de l'ancienne Eglise*, in quibus ita haud dubie se commendat principem, ut sustinuerit nuper tam ardua adfectarè. Hoc autem savoir non aliunde hausit, quam legendis scriptoribus Ecclesiasticis. Hæc enim unica est vera percipiendi illas consuetudines ratio, & quidem in sermone, quo quisque scripsit. Vide ergo, quam gloriosa de Mr. Κληρ. mihi proponam. Statuo liquide lectos ab eo esse Eusebium & Socratem & omnem illam cohortem, & quidem tam feliciter, ut habeat universa ad plenum intellecta. Præbeo igitur illi occasionem, qua perspicue id probet monstrando loco, quem nescio unde sic accipi a nobis editores voluerunt in Eusebio pag. 6

Hunc quotquot a prima humani generis origine justitiæ ac religionis laude maxime floruerunt, ut magnus ille Dei famulus Moses, ut qui ante illum vixit Abraham, & ejus filii, & quicunque postea viri justi ac Prophetæ extiterunt, omnes puris mentis oculis contemplati agnoverunt, eidemque tanquam Dei filio debitum cultum exhibuerunt.

Τοῦτον καὶ οἱ ἀπὸ τῆς πρώτης ἀνθρωπογονίας πάντες, ὅσοι δὴ δικαιοσύνῃ καὶ θεοσεβείας ἀρετῇ διαπρέψαι λέγονται, ἀμφί τε τὸν μέγαν θεράποντα Μωϋσέα, καὶ πρό γε αὐτοῦ πρῶτος Ἀβραάμ, τούτου τε οἱ παῖδες, καὶ ὅσοι μετέπειτα δίκαιοι πεφήνασι καὶ προφῆται, καθαροῖς διανοίας ὄμμασι φαντασθέντες, ἔγνωσάν τε καὶ οἷα θεοῦ παιδὶ τὸ προσῆκον ἀνέμειναν σέβας.

Habet Græca & Valesii Latina, in quibus iste scri-

ptor edit quasi les usages de la plus ancienne Eglise, quas etiam Mr. Κληρικὸς novit omnes, quia & hunc locum sæpe legit, & optime intelligit. In qua opinione ut confirmer, non invidebit mihi sententiam loci tam eximii, cujus tamen Græca componere cum istis Latinis nequeo, & hinc etiam non ex mente Mr. Κληρικοῦ intelligere jam ab triginta annis.

Notas citationibus Gallicis imponendas ab typis omissas ut qui legit adscribat, rogatur. Cætera sic lege

Pag.	10	vers. 18	incitatus acriter.
	16	3	Livii ex-emplaria.
	18	17	il le fait.
		23	la Latinité.
	24	9	*acerra.*
	25	11	nouveauté.
	28	22	de simulacres.
	29	1	qu'il.
	30	7	savoir.
		21	leurs maisons.
	35	30	Æsopi, istud.
	37	13	idcirco pro.
	41	11	Il n'y a.
		21	*similiter ac* junctim.
		27	*similiter ac vero.*
	48	15	ἀϖσ[illegible]ας.

FINIS.